KRAETSCH

DE ABUNDANTI DICENDI GENERE LUCRETIANO.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA BEROLINENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE V. M. APRILIS A. MDCCCLXXXI

H. L. Q. S.

IN PUBLICO DEFENDET

SCRIPTOR

AEMILIUS KRAETSCH

BEROLINENSIS.

ADVERSARII ERUNT:

FRIDERICUS SCHLEE, DR. PHIL.
MAXIMILIANUS ENGELMANN, CAND. PHIL.
BERNHARDUS KÜBLER, CAND. PHIL.

BEROLINI

TYPIS EXPRESSIT GUSTAVUS SCHADE (OTTO FRANCKE).

Linienstr. 158.

IOANNI VAHLENO

Sacrum.

Inter poetas Latinos si quis alius, sublimis qualem Ovidius praedicat Lucretius cura nostra dignus videtur, non solum propter argumenti proprietatem et difficultatem sententiarumque subtilitatem et perspicuitatem sed etiam ob eximiam diligentiam artemque in versibus formandis et ob sermonis integritatem ubertatemque ornatam.

Neque enim ut rivus tenuis sed largis undis fluit oratio. Quin etiam saepe superfluit et totis sententiis et singulis verbis abunde positis, et hac in re maxime cernitur verborum luxuries quod poeta pro simplici voce, qua sententiam apte poterat efferre, duabus aut pluribus tam saepe utitur, ut illud paene consuetudinis eius fuisse dici possit, sive eas particulis inter se coniunxit sive nulla coniunctione composuit sive adiectivi aut genetivi forma nomini apposuit sive eas verbo abunde adiecit. Haec ab editoribus passim adnotata colligere ita ut uno quasi conspectu qualia essent et quantum hic usus pateret perspici posset, mihi non ineptum esse videbatur et fortasse non solum huius poetae studio utile sed etiam ad ea quae apud ceteros scriptores similiter posita inveniuntur iudicanda non prorsus alienum. Nam primum cavendum est ne omnia, in quibus nos nunc offendimus, etiam veteribus displicuisse opinemur, deinde autem Lucretius quamquam opus imperfectum reliquit et nonnullae partes ita comparatae sunt, ut sine dubio, si carmina edere ipsi licuisset, aliter formaturus fuerit, tamen in ipsa verborum compositione ita elaborasse videtur, ut aequum sit iudicare, in eis quae habemus poetam fere praestitisse quod praestare et voluerit et potuerit. Itaque non satis est legere et colligere sed etiam ponderare et examinare, nonne ea ex linguae latinae ingenio aut ex studio poetae saepe orta sint, quae nobis fortasse laxioris et profusioris orationis signa videri possint. Hanc rationem secutus omnia uberioris illius quod supra adumbravi dicendi generis exempla colligere et certis generibus disponere conabor atque in unoquoque genere illustrando suo loco etiam quae sit eius natura atque proprietas breviter exponam.

PARS PRIOR.

CAPUT PRIMUM.

Ac primum quidem copulationem verborum bimembrem, quam dico, tractare incipiam, qua binae voces, sive verba sunt sive nomina sive adiectiva sive adverbia, coniunctionibus copulativis aut disiunctivis coagmentantur, quamquam alterutram poni ad sententiam satis erat. Atque hae voces, si diligentius consideramus, tales sunt, ut aut diversis vocabulis eadem sententia efferatur aut ut alterius notio definitior alterius significatione latiore contineatur, deinde ut utraque proprie aut altera translatione altera propriis verbis sententiam exprimat. Quae quamquam inter se quam maxime potero distinebo, tamen melius videtur, non hanc viam in digerenda materia ingredi sed ita potius rem instituere, ut quales sint rationes poeticae, quibus hic usus nitatur, appareat. Qua in re permultum valuisse mihi videtur consilium poetae simili quodam verborum sonitu, sive singulis literis sive totis syllabis continetur, orationis cursum variandi ac distinguendi, quod antiquissimis Latinorum poetis satis gratum maxime Lucretio videtur placuisse, qui ubicunque licebat talibus verbis coniunctis carmina sua ornare studuit; neque igitur mirum erit, si etiam magna pars verborum, quae synonyma poeta composuit, hoc studium luculentissime demonstrabunt. Quae ita enumerabo, ut in primis quidem variis illius alliterationis, quam breviter dicam, formis expressis ea tamen, quae sententia aut grammatica ratione apte inter se comparari possint, comprehendam.

Atque ut a verbis incipiam, primum afferam exemplum illud *adiutamur — atque alimur nos Certis ab rebus* (I 812/13 in editione Bernaysii, quam semper sequar in enumerando), idem fere atque: *augemur et alimur* (cf. *auctus adiutusque* apud Cornel. Nepot. in Phoc. 2, 3), quae quidem verba Lucretius saepius ac plerumque hoc ordine coniungit: I 859 *praeterea quoniam cibus auget corpus alitque*, V 322 *nam quodcumque alias ex se res auget alitque*, VI 946/47 *didi-*

tur in venas cibus omnis, auget alitque Corporis — partis unguiculosque, eademque sententia *auctare et alere:* I 56 *unde omnis natura creet res, auctet alatque,* bis tantum inverso ordine *alit atque auget* I 229 *unde alit atque auget* (tellus animalia) *generatim pabula praebens* et V 220 (feras natura) *cur alit atque auget,* simili orationis et ubertate et effectu illa coniuncta atque nos dicimus „nähren und mehren“. Sic etiam Cicero Laelium de studiis suis loquentem facit, quae cogitatione et memoria Scipionis mortui alantur et augeantur. (de amic. § 104.) — Eadem deinde est causa I 641 *omnia enim stolidi magis admirantur amantque* in verbis *admirari* et *amare* coniunctis, quorum sententia neque hic valde differt neque Horati loco a Munrone apte allato: epist. II. 2, 58 *denique non omnes eadem mirantur amantque,* neque item, opinor, dicendi abundantia et soni similitudo petita legentem fugere potest his locis: III 355 *ipsa palam quod res dedit ac docuit nos,* V 1108 *pecus atque agros divisere atque dedere,* deinde IV 422/23 *et quocumque oculos traiecimus, omnia ferri Et fluere adsimili nobis ratione videntur,* quocum apte conferes VI 931/32 *usque adeo omnibus ab rebus res quaeque fluenter Fertur* et Quintiliani libr. IX. 4, 112 (ed. Halm) *totus vero hic locus non ideo tractatur a nobis, ut oratio, quae ferri debet ac fluere, dimetiendis pedibus ac perpendendis syllabis consenescat;* tum affero IV 883/84 *ergo animus cum sese ita commovet, ut velit ire Inque gredi,* I 375 *sic alias quoque res inter se posse moveri Et mutare locum,* V 314 *nec validas aevi vires perferre patique,* quod occurrit etiam apud alios poetas, velut in Terenti Andria I. 1, 35 *facile omnes perferre ac pati,* bis apud Horatium in epistolis I. 15, 17 et I. 16, 74, apud Martialem VII. 39, 3, neque hoc et par illud *ferre ac pati,* quod apud ipsum Lucretium extat II 291, a prosae orationis scriptorum usu alienum est. Munro affert Livi librum X. 11, 12 atque e Cicerone hoc et similia Doederleinius in libro de verbis Latinorum synonymis, vol. IV pag. 261. Praeterea et alliterationis et eiusdem rei bis verbis expressae exempla sunt: II 934 *huic satis illud erit planum facere atque probare* et IV 964 *pugnare ac proelia obire,* idemque apparet in verbis V 1410/11 *nam quod adest praesto, nisi quid cognovimus ante Suavius, in primis placet et pollere videtur,* in quo conexu *placet* et *pollet* quid differunt? et V 898/99 *denique flamma quidem cum corpora fulva leonum Tam soleat torrere atque urere* (quam cetera animalia), ubi torrendi verbum ad sententiam inane *r* litera cumulata tamen orationis cuidam lepori servit.

Sed maxime verba synonyma ita coniuncta invenimus, ut bis

eadem praepositione poeta utatur, quod Lachmannus in commentarii pagina 73 ut antiquae elegantiae signum commune recte notatum nonnullis exemplis e Lucretio petitis demonstravit, quae scilicet centum aliis possunt augeri. Atque e verborum quidem eandem rem significantium numero haec possunt proferri: V 164 *cetera de genere hoc adfingere et addere* eodemque modo Caesar scripsit in bello Gallico VII 1 *addunt ipsi et affingunt rumoribus Galli,* deinde II 154 (corpuscula) *complexa meant inter se conque globata,* VI 456 (nubes) *comprendunt* (id est *coniungunt*) *inter se conque gregantur,* VI 211/12 *ventus* (nubes) *contrusit in unum Compressitque locum,* III 1085/86 (nil) *demimus — nec delibare valemus,* tum VI 886 *exspirare foras exireque in auras* et transitiva exspirandi notione etiam elegantius VI 816/17 *hos — tellus — exaestuat aestus* (cf. II 1137) *Expiratque foras in apertum promptaque caeli,* quamquam hic quidem nil impedit, quominus ultima ad verbum exspirandi solum referamus, praeterea II 200 (ut tigna ex aqua) *foras emergant exiliantque,* quibus in praecedenti versu item synonyma respondent verba *revomit — atque remittit* aequali orationis conformatione eleganti sane et meditata, cui quidem artis rhetoricae generi saepius apud Lucretium occurremus; nec dissimilis res est in versu II 784 *praeterea nil officiunt obstantque figurae,* quibuscum conveniunt duobus versibus post aeque illa coniuncta *at varii rerum inpediunt prohibentque colores;* horum verborum par prius consociatum videmus etiam I 337 *namque officium quod corporis extat, Officere atque obstare,* ubi poeta simul lepide verbis *officium* et *officere* ludit, item fere ac Cicero, qui in orat. pro S. Roscio par. 112 apte a Munrone allata haec dicit *cur — meis commodis officio simulato officis et obstas?* idemque in eiusdem orationis paragrapho sexta iterum verba *obstare* et *officere* ut synonyma copulavit, quibus denique, si placet, addas e Livio II. 2, 6 *id officere, id obstare libertati.* Ceterum talibus verbis quae moram et impedimentum indicant coniunctis saepius occurrimus, nec solum iis in quibus sonitus est similitudo, velut in Lucreti libro V 716 *occursans officiensque* et apud Ciceronem *occurrere atque obsistere* (in orat. in Catilinam III. 7, 17), *repugnare et resistere* (in or. pro Rabirio 5, 15), sed etiam talibus *adversari* et *repugnare* (de offic. I. 31, 110), *repugnari obsistique* (de fin. IV. 7, 17), neque dubito apud Lucretium ipsum in versu I 977 pro codicum lectione *probeat efficiatque* a Lachmanno et Bernaysio maiore quam opus erat pietate conservata probare quod Gryphius et Lambinus coniecerunt *probeat officiatque,* ex constanti huius poetae usu, ut

recte ait Munro, qui monet etiam paulo ante (in v. 973) poetam dicere *prohibere — obstareque*, cf. IV 1261 *prohibet — atque repugnat*, eodemque dicendi genere bis coniuncta videmus *contra pugnare* et *obstare* II 280 et II 794; nam in versu 780 libri I verba *contra pugnet et obstet* separanda videntur ita ut *contra pugnet* ad praecedentia pertineat, versus autem qui sequitur ab obstandi voce sola dependeat. Item non plane certum mihi est, utrum verbis versuum 867/68 libri alterius commate post *refutant* omisso una formetur enuntiatio, in qua *refutant nec contra pugnant* eadem fere sententia copulentur, an commate posito duo habeamus eiusdem fere argumenti enuntiata. Nam ne hoc quidem a poetae elocutione alienum est, qui saepius etiam simplicis et plani argumenti sententias bis variatas exprimit; conferas quaeso I 705/6, II 581/82, II 886/87, III 524/25, IV 775/76, IV 820/21. — Porro extant praepositionis repetitae exempla III 961 *increpet inciletque* (vide Lucili v. 876 ed. Lachm. *incilans nos laedis* e Nonio petitum, qui dicit: *incilare est increpare vel inprobare*), IV 1141 *implicitus — inque peditus*, VI 1025 *provehat atque propellat*, II 1138 *suboriri ac suppeditare*, denique VI 543 *his — rebus subiunctis suppositisque*, quibus ea adiungo ubi syllabae *dis*, *re*, *se* praepositae repetuntur: II 953 *discutere ac dissolvere* cf. I 559 *disturbans dissoluensque*, I 651 *disiectis disque supatis*, III 636/37 (anima) *dispertita — et discissa — dissicietur* quibuscum utiliter comparabis Caesaris verba in bello Gallico V 58 *dispersi ac dissipati discedunt*, item V 360 *discedere dissoluique*; nam *discedere* est *in partes suas discedere* vel *dissolvi* ut in libri III versu 400 (anima) *discedit in auras*, 435—38 *diffluere — discedere — diffundi — dissolvi* quae omnia idem fere significant, II 833 (priusquam particulae) *discedant ad semina rerum;* restat VI 215/6 *ventus* — (nubes) *diducit — Dissoluitque.* Syllaba *re* deinde repetitur IV 320/21 in verbis *referri Ac resilire*, syllaba *se* denique I 452 *seiungi seque gregari*, II 648 *semota — seiunctaque longe*, item II 473 *secernendi seorsumque videndi*, quamquam de hoc loco viri docti non consentiunt. Cum enim versus 474—77 in eo quo in libris scriptis continentur conexu Lachmanno non ferendi viderentur, vir doctissimus versum *linquit enim* etqs. a versu 477 segregaverat, qua in re Bernaysius eum secutus est. Sed iam in illo quem Lachmannus constituit ordine mea quidem sententia de primordiis asperis, quae antea facile intellegebantur, difficilius cogitatur, nisi forte interpretaris: quaecunque aspera sunt. Hoc autem concedendum est, duobus illis versibus ad unam sententiam coniunctis verba *quo magis possint* sic

recte tradita esse non posse. Quae cum de consilio quodam accipienda esse Lachmannus recte dixisset, id quoque viderat, de consilio, quo umor percolatus primordia aspera relinquat, non posse nisi absurde cogitari. Tamen ne ea quidem quam Lachmannus effecit sententia satis placet, quia versu 477 non tam consilium eorum qui umorem per terram percolant quam causam expressam exspectamus, cur aspera primordia a levibus segregentur. Itaque aut cum Marullo *quod magis possunt* aut cum Munrone *quom magis possint* legendum videtur, nisi Lambini coniecturam *quo magis possunt* accipere malis; idem enim dicendi genus extat etiam in versu 226 *quo citius feruntur*, h. e. pro maiore qua feruntur celeritate (quamquam hic, nisi omnia me fallunt, rectius e sententia adversarii coniunctivus scribitur, qui in versu 477 locum habet scilicet nullum), et conferre iuvabit etiam v. V 1286 et Ciceronem in or. pro Quinctio I 4 *quo minus ingenio possum, subsidio mihi diligentiam comparavi.* — Sed hoc iam constituto deest tamen vinculum, quo versus 475/76 *umor dulcis* etqs. cum praecedentibus iugentur, quod ego neque Munronem repperisse existimo, qui semicolo post secernendi verbum posito distrahit quae cohaerent manifeste et poetae sententiam non eleganti dicendi genere et implicito explicat; multoque minus Bockemuellerum coniectura sua *seorsumque videndust* Lucretio satisfecisse puto, qui legisse debebat quod de tali contractione Lachmannus dicit in commentarii pag. 122. — Mihi quidem, cum verba quae extant per se simplicia et plana vix apte mutari possint, versus post v. 473 videtur excidisse, quo conexus interruptus restituatur, quod emendationis genus iam a Lachmanno nonnullis locis bene adhibitum fortasse etiam hic nobis veram viam monstrabit. Faciamus enim poetam sic fere scripsisse: *nam fieri solet e Neptuni corpore amaro Umor dulcis* etqs., iam non solum sententia plana exsistit sed etiam illud *idem*, antea ad umorem dulcem relatum, aptius ad Neptuni corpus amarum — sive aliud quid melius fingas — referemus; neque enim umor dulcis percolatur sed aqua maris salsa.

Illi alliterationi et proximum est et quodammodo contrarium homoeoteleuton, quod non in initio vocum appareat sed in simili verborum exitu consistat. Illius cum ne apud Lucretium quidem exempla desint, — memoro maxime notabile illud *ire et abire* in v. II 962 — e verbis synonymis ita copulatis haec pauca poterunt afferri: III 724 *quaerendum — et in discrimen agendum*, VI 1051 *offensare — pulsareque*, denique V 535 *evanescere paulatim et decrescere*, ubi infinitivo *decrescere*, qui ante evanescendi verbum me-

liorem obtineret locum, postposito facile careamus. Sed videtur illud *ὕστερον προτέρον*, quod dicitur, exemplum manifestum, quae dicendi figura iam ab Homeri temporibus Graecis et Latinis nota (cf. Eustath. p. 97/98 Ameis. ad Odyss. *δ* 476 et Ciceronis verba in epistola ad Atticum 16 libri I *respondebo tibi ὕστερον πρότερον, Ὁμηρικῶς*) aliis quoque exemplis Lucretianis probatur; vide III 526 *in pedibus primum digitos livescere et unguis*, IV 104 *assiduo crebroque repulsu*, III 557 *valent vitaque fruuntur* cf. V 958 *sponte sua sibi quisque valere et vivere doctus*, III 795 *durare genique*, VI 527 *cetera quae seorsum crescunt seorsumque creantur*, fortasse etiam IV 1032 *namque alias aliud res commovet atque lacessit;* nam *lacessit* est *sollicitat* (v. 1030), irritatio autem motum praecedit. Neque hic usus a prosae scriptorum elocutione abhorret; cf. Caes. b. civ. III. 1, 3 *hoc ad timorem — tollendum minuendumque — esse aptissimum existimavit*, Cicer. or. in Catil. IV. 10, 21 *Hannibal in Africam redire atque Italia decedere coactus est* et paulo antea par. 20 *me meorum factorum atque consiliorum numquam paenitebit.* —

Sed cum his locis, ubi poeta idem duobus verbis bis significare maluit quam simpliciter rem efferre, sonitus similitudinem primo ac potissimo loco collocaverim, tamen quamvis poeta indulserit aurium oblectationi is videri nolo, qui illum ornatus unius gratia haec omnia posuisse putem. Hoc enim levis esset iudicii in poeta aptae elocutionis studioso ac diligenti, quem non solum orationis venustatis sed etiam sententiae utilitatis rationem habuisse putare fas est. Quamquam in ea quoque re cauti iudicii fines ne transeamus cavendum est, neve, ut ab inani verborum cumulatione scriptorem defendamus, illum bis idem dicendo ubique, alio atque alio verbo posito, propriae sententiae vim quasi duplicare studuisse opinemur. Hoc quidem concedendum est, linguae Latinae scriptores saepe verborum cognominatorum copulatione fortiorem sententiam efficere et vim verbi augere, ubi nos, quibus talem eiusdem notionis repetitionem imitari molestum ac frigidum videretur, aliis rem exaggerandi artibus, maxime adverbiis appositis, uti solemus atque interdum ipso vocis sono sententiae vim indicamus. Nec difficile est, ex eis ipsis quae e Lucretio attuli exemplis invenire quae talem rationem luculenter ostendunt. An non in versu III 961 *iure ut opinor agat, iure increpet inciletque* ut iteratione vocis *iure* poetae iustam indignationem sic duplici vituperandi verbo vehementem naturae ardorem et iram optime depingi sentimus? Item quam validis Veneris nodis amans teneatur nonne lepide videtur significari, cum poeta eum duobus verbis *implicitum inque*

peditum dicat (IV 1141)? Quis deinde quod natura deorum *semota ab nostris rebus seiunctaque longe* describitur (II 648, quo cum exemplo componas v. IV 810 *semotum — longeque remotum*) verborum copia non audit graviter efferri firmum mentis ac stabilitum poetae illius iudicium, cui deos nostram salutem omnino nil curare persuasum erat? Atque idem Lucretius ubi de vento, qui nubes in unum locum arte comprimit, his verbis utitur (VI 211/12): *hasce igitur cum ventus agens contrusit in unum Compressitque locum cogens*, nonne verborum varietate vim venti egregie illustravit? Similiter quod simplicius enuntiare poterat: cum vi dissolvere, id duobus verbis exprimere maluit *disturbans dissoluensque* (I 559) et *discutere ac dissolvere* (II 953). Neque eandem sententiae vim non agnoscemus talibus locis II 784 *nil officiunt obstantque figurae*, h. e. prorsus non impediunt, et 786 *at varii rerum inpediunt prohibentque colores.* — Atque his locis, in quibus omnibus sonitus similitudine effectus etiam augetur et sententiae gravitas cum suavitate dicendi belle se coniungit, accedunt alii, ubi talis orationis ornatus desideratur. Neque enim in v. II 275 infinitivus *ire* fortiori rapiendi verbo inaniter additur neque postea in verbis versus 280 *contra pugnare obstareque* altera vox supplendi numeri causa inculcatur, sed cum magnis alterius viribus coactos nos procedere poeta dicat, vim qua praecipites rapimur (ita ipse paulo post loquitur in vs. 278/79) atque vigorem animi, qui huic necessitati externae fortiter resistit, graviter significat. Quaesita deinde videtur haec quoque verborum repetitio in v. IV 916 *dissolvuntur enim tum demum membra fluuntque*, ubi eandem rem bis exprimit poeta; depingitur enim apte omnium membrorum summa in somno solutio. Sic Quintilianus de pueris *solutis ac fluentibus* loquitur (I. 2, 8), h. e. de enervatis atque languentibus. Item illud de asperis primordiis in v. IV 623 cum gravi quadam verborum copia dicitur, quorum tactum linguae foedum duplici significatione poeta declarat, cum ea sensum *pungere* et *lacerare* (id est 'empfindlich verletzen') dicit illis opposita, quae suavia *suaviter attingunt et suaviter omnia tractant* etqs (v. 621).

Neque in v. IV 783 frustra posita esse illa *omnia sub verbone creat natura paratque* sed celeritatem creandi esse in verbis copulatis expressam, nemo est quin videat, et similis est causa in his *proculcare ac ludibrio — habere* (V 1233), in quibus duplici imagine latet fortunae impotentiae et imbecillitatis humanae gravis significatio. Eandem vim denique etiam in his locis deprehendemus: II 154 *sed complexa meant inter se conque globata*, III 1002 (animum) *explere*

bonis rebus satiareque numquam (vide Munronis notam), IV 322 *splendida porro oculi fugitant vitantque tueri*, IV 1104 *nam facere interdum velle et certare videntur*, IV 1261 *nam mulier prohibet se concipere atque repugnat*, V 759 *quae faciunt ignes interstingui atque perire*, V 537 *coniunctam atque uniter aptam*, cf. 555, 558, V 1048 *cogere item plures unus victosque domare* ('mit Gewalt dazu zwingen') contraria verbis *docere — suadereque surdis* in v. 1050 ('in Güte zu belehren'), neque item mera videtur abundantia in v. III 362 *sensus enim trahit atque acies detrudit ad ipsas*, quem a Lachmanno transpositum, a Bernaysio proscriptum nescio an Pollius (in Philologi vol. 26 pag. 330) apte vertat et explicet his verbis: „der Gesichtssinn, d. h. die Empfindung während des Sehens, weist uns unausweichlich an die Augen selbst als das funktionirende Organ, während die blossen ostia nicht funktioniren können". — Postremo in v. I 732 *vociferantur et exponunt praeclara reperta* verba *vociferantur et exponunt* si coniunguntur, non sine vi copulata videntur. Sed certe fieri potest, ut *vociferantur* obiecto careat (cf. Munronis notam).

His omnibus igitur quos attuli locis concedendum erat non prorsus supervacanea accessione orationem onerari, sed verborum congregatione sententiae vim apte ad conexum augeri et exaggerari. Sed quid de ceteris iudicamus? Nam multa supersunt, in quibus talem vim vix poteris deprehendere. Num igitur illa elocutioni Lucreti non excultae atque politae tribuemus? Sunt enim viri docti, qui verba synonyma numquam nisi sententiam expressam duplicatura ab optimis scriptoribus coniungi existiment, et copiosius exposuit et illustravit hanc sententiam Naegelsbachius, vir sermonis Latini peritissimus, in libro de stilo Latino §. 81, 1. Qui cum de pedestris scilicet sermonis scriptoribus et iisdem bonis Latinitatis auctoribus iudicium faciat, nos ea quae in hac re Lucretius peccasse videtur omnia aut incuriae elocutionis tribuemus aut fortasse metri difficultatibus condonabimus. Sed ut fatear, quid sentiam, mihi Naegelsbachius non omni ex parte rem perfecisse videtur. Quamquam hoc quidem vir praeclarus recte monuit, ne, qua in re saepe multi frustra laborant, omnibus eiusmodi locis diversis verbis etiam res diversas contineri existimemus neve sententiam plenam esse atque perfectam credamus nisi utroque verbo relicto. Certe verba illa, quae synonyma coniuncta videmus, non semper idem significant neque ubique possunt commutari, sed quid quoque loco aptum sit loquendi usus tyrannus saepe certo fine determinavit; sunt autem loci, ubi notiones misceantur neque ad conexum quidquam differat, utrum hoc an illo verbo uta-

mur, quod eis locis, quos e Lucretio attuli, satis apparere existimo. Tamen vereor ne Naegelsbachius non recte egerit, quod omnibus illis locis, qui apud bonos scriptores in hoc genere extant, vim sententiae singularem subiecit. Nam ne in eis quidem paucis quae ex innumerabili numero attulit exemplis omnibus ea quam ostenturus est vis videtur inesse, et attente legenti alia occurrent, quae vim illam non perferent. Unum ex locis a Naegelsbachio collatis afferam e Ciceronis Oratore (III. 30, 120) *orationes, quae — se — ad universi generis vim explicandam conferunt et convertunt,* quod vertit: welche sich's zur eigentlichen, wesentlichen Aufgabe machen, ubi tamen aliis viris doctis verba adeo pondere carere videbantur, ut illa *et convertunt* expellenda esse censerent. Quod quidem num recte fecerint valde dubito neque nego Naegelsbachium in plurimis vere iudicasse, sed illud arbitror, in hac re sensum multum valere et in ea sententia, quam vir ille eruditissimus profitetur, facile fieri periculum, ne mente praeoccupata in scriptorem interdum nimis inquiramus; idque in primis in Cicerone, cuius ex scriptis Naegelsbachius cum omnia praeter unum exempla hauserit, difficultatem quandam ipse sibi paravit. Orator enim non solum sententiae apte formandae sed etiam orationis bene ornandae iustam habet rationem et tota verborum compositio non magis gravitati servit quam suavitati. Atque in hac re Ciceronem ante omnes elaborasse, qui orationes eius legit, facile cognoscit, nec carent cetera eius scripta exemplis huius oratorii studii manifestis. — Sed quem in oratione locum habet compositio, eum in poemate versificatio quibusque orator artibus utitur, illis saepe ne poeta quidem potest carere. Neque enim solum animo versus sed etiam auribus quasi accipiuntur nec leguntur tantum sed etiam audiuntur. Atque si quem alium, Lucretium propter materiae difficultatem, ut legentium animos teneret non deterreret, in versibus pangendis utile cum dulci coniungere oportebat, quod quo studio fecerit, ipse plus quam semel affirmat, quo eventu effecerit, carmina mirum quantum ostendunt. Proinde — iam redeo ad illam rem, unde profectus sum — ut de illis locis, ubi verborum cognominatorum coniunctione maior quaedam sententiae vis atque gravitas non efficitur, recte iudicemus, cautius oportet rationes circumspiciamus, quibus ut ea collocaret poeta commotus esse videatur. Qua in re non inutile erit legere quae Gellius in capite XXV libri XIII noctium Atticarum de rationibus verbis pluribus idem significantibus utendi acute scripserit. Ille enim narrat Favorinum philosophum in area fori Traiani ambulantem, cum simulacris equorum atque signorum

militarium in foro sitis subscriptum legisset *ex manubiis*, ex comitibus quaesivisse, quid proprie significarent *manubiae*. Quas cum unus ex illis *praedam* interpretatus esset, Favorinum rogasse, num igitur illi M. Tullius in oratione de lege agraria contra Rullum habita, cum manubias praedae subiceret, frigide et inepte haec coniunxisse videretur. Ad haec ille cum respondisset saepe vel a poetis vel oratoribus Graecis et Romanis venerandae et ornandae rei gratia duobus unam eandemque rem pluribusve nominibus instaurari, — et ipse igitur oratores et poetas inter se conferens — Favorinum quid igitur, quaesivisse, valere hanc repetitionem eiusdem rei in verbis *manubiae* et *praeda* in oratione Ciceronis? num eam modulatiorem aptioremque reddere? num onerandi vel exprobrandi criminis causa exaggerationem aliquam speciosam facere? Atque haec per nonnullos poetarum et oratorum locos persecutum eum conclusisse, quia additis manubiis neque ornatior neque exaggeratior modulatiorve fieret oratio, aliud omnino praedam esse aliud manubias. In qua disputatiuncula paucis verbis recte mihi videtur adumbratum esse, quid in tali quaestione diligenter sit observandum, utrum verba coniuncta ad sententiae utilitatem conformata sint, an ultra perspicuitatem poeta ad legentium voluptatem aut orationis ornatus aut numeri venustatis causa ea composuerit.

His igitur rebus, ut ait Lucretius, subiunctis suppositisque ad rem antea tractatam paulum digressus redeo. Apparet enim ut sonitus similitudinem, de qua primum exposui, ad ornatum, sic sententiae amplificationem ad orationis utilitatem pertinere. Sed neque huius neque illius imaginem plene iam expressi; id quoque gravitatis cuiusdam dicendi idemque elegantiae specimen est apertum, quod poeta nonnumquam unam eandemque vocem pari verborum synonymorum bis apponit, velut II 1078 *unica quae gignatur et unica solaque crescat* et inverso verborum ordine VI 527 *cetera quae seorsum crescunt seorsumque creantur* eis contraria, quae concrescunt in nubibus. *Seorsum* enim quin pro codicum scriptura *sursum* Kochius recte coniecerit, (in mus. Rhenan. VIII p. 640) vix dubium potest relinqui.

In utraque autem re crescendi verbo vix quicquam novi sententiae affertur, sed totam verborum compositionem nisi rhetoricae artis studio factam non esse apparet. Idemque clare videmus in verbis versus II 186 *sursum ferri sursumque meare*, ubi frustra ei laborant, qui diversam verborum significationem exquirant, et IV 621 *suaviter attingunt et suaviter omnia tractant* etqs; *tractare* enim hic

de *tactu* est intellegendum ut IV 228 *manibus tractata* (h. e. *tacta*) *figura* et in Vergili Georgicis III 502 (pellis) *ad tactum tractanti dura resistit.* Denique eadem ratione sed chiastico ordine illud dictum est II 106 *cetera dissiliuut longe longeque recursant In magnis intervallis,* ubi verbum latius patens — nam *dissilire* est *in diversas partes salire* ut I 385, 391 — verbo sequenti magis definiri videmus, atque similem chiasmum habemus in vs. III 68/69 *unde homines dum se falso terrore coacti Effugisse volunt longe longeque remosse* et VI 653/54 *quod bene propositum si plane contueare Ac videas plane, mirari multa relinquas.* — His locis tres alios annecto, ubi non eandem vocem repetitam sed altero loco aliam eiusdem fere sententiae repositam invenimus: III 168/69 *pariter fungi cum corpore et una Consentire animum nobis in corpore cernis,* IV 129/30 *sunt etiam quae sponte sua gignuntur et ipsa Constituuntur in hoc caelo* VI 519 *remanere diu — longumque morari.* — Huc referri potest etiam locus ille III 286/87 *ne calor ac ventus seorsum seorsumque potestas Aëris interemant sensum diductaque solvant,* at in v. I 766 verba *quam contra res illorum retroque putari,* quae Munro sic intellegit: quam contra res illorum primordia dici retroque putari, non video, cur non simplicius sic componamus: quam res illorum (primordia) contra retroque putari.

Praeterea autem poeta interdum ita vim vocis fortius effert, ut simplici voci par verborum cognominatorum subiciat. Premitur enim sane vis vocis et imprimitur magis in animo, cum duobus verbis fulcitur. Sed hoc facilius scilicet sentitur quam enuntiatur et clarius fiet fortasse exemplis ipsis prolatis. In hoc genere est, quod Lucretius in v. III 875 de homine dicit mortem querente nec tamen metum confitente: *nec radicitus e vita se tollit et eicit.* Nam quamquam ipsi adverbio vis magna subest, tamen ignava hominis voluntas, qui haeret in vita nec vanarum opinionum vincula prorsus effugere potest, duplici imagine fortius exprimitur. Idem poetae consilium apparet in v. III 273 *nam penitus prorsum latet haec natura subestque,* et aut fallor aut poeta verbis versus eiusdem libri 1078 *praeterea versamur ibidem atque insumus usque* vitae humanae formam eisdem semper curis ac studiis occupatae expressius depingit, ita ut idem amantes in corpus mulieris amatae quasi totos se immergere studentes lepide perstringit, cum eos in vs. IV 1103/4 *penetrare et abire in corpus corpore toto* haudquaquam posse dicit, quamvis magno cum ardore niti videantur, et ut in v. 716 libri V *omnimodis occursans officiensque* variam rationem impedientis illius corporis egregie significat. Nos

quidem, qui in vertendo abundantiam orationis Latinae non bene imitabimur, vim duplicis verbi nonnumquam ita aequabimus, ut uno verbo utamur rem per se acriter et significanter exprimente. Exempli causa versum III 875 affero, quem sic fortasse vertere licebit: und nicht vermag er es, mit allen Wurzeln sich vom Leben loszureissen.

Sed necesse non est pari verborum cognominatorum semper vim vocis premi aut augeri, ne eis quidem locis ea inutiliter copulata sunt, ubi, ut in versibus libri quarti 422—23 *et quocumque oculos traiecimus, omnia ferri Et fluere adsimili nobis ratione videntur,* nulla gravitate tamen rei ipsius imago duplici verbo luculentius depingitur. Nam quasi coram res in summis undis fluitantes cernere nobis videmur, item atque in v. VI 1025 *aër a tergo quasi provehat atque propellat* aër anulum prae se pellens duplici verbo luculenter oculis subicitur.

Atque poeta ut in vs. libri VI 215/16 *nam cum ventus eas leviter diducit euntis Dissoluitque* imaginem venti nubes non a ferociter raptantis sed leniter dispergentis duplici vocabulo venustius expressit, sic in vs. 199/200 libri II tigna, cum magna vi in aquam depressa sunt, cupide exsilientia belle depinxit, idemque rem dilucide illustrandi studium videbis etiam VI 543 *his igitur rebus subiunctis suppositisque* ita ut firmum sint quaestionis sequentis fundamentum, III 636/37 *dispertita procul dubio quoque vis animai Et discissa simul cum corpore dissicietur,* scilicet celeri ictu subito in duas partes divisa, atque addere licebit tales locos III 407 *in vita cunctatur et haeret,* VI 456 *inde haec* (nubes) *comprendunt inter se conque gregantur* alios, quos hic praetermittam; fateor enim minus mea interesse, omnia exempla prorsus absolvere, quod difficile est praecipue in re, ubi sensus permultum valet, quam rationes ostendere, quibus poeta ductus mihi videtur, iure illas, opinor, conquirendas in versibus adeo elaboratis.

Sed haec iam satis dicta sint de sententia amplificata. Restat igitur, ut pauca quae huc pertinent exempla commemorem, ubi Lucretius eandem rem prius simplici verbo proprio aut translato significat, deinde imagine poetica circumscribit, ita ut et perspicuitati et venustati serviat. Enumero statim illos locos, nam vix egent interpretatione: I 170 *inde enascitur atque oras in luminis exit* cf. III 679, I 372/73 *cedere — Et liquidas aperire vias,* II 195 (sanguis) *emicat exultans alte spargitque cruorem,* II 1173/74 *tabescere et ire Ad capulum,* III 405 *vivit et aetherias vitalis suscipit auras* (cf. Verg. Aen. III 339), III 755 *traiciuntur enim partes atque ordine migrant,*

IV 431 *obire et condere lumen*, IV 977 *cernere saltantis et mollia membra moventis*, V 1064 *et cum iam latrant et vocibus omnia complent;* IV 1242 (ex aliis) *succipiunt aliae pondus magis inque gravescunt* eleganti et quaesita dictione, cum in ingravescendi verbo item insit ponderis significatio, V 830 *porro aliut clarescit et e contemptibus exit* (cf. v. 1276) oppositum ei (in v. 829) quod *putrescit et aevo debile languet.* His addo v. I 280, ubi de ventis dicitur: *nec ratione fluunt alia stragemque propagant* satis copiosa elocutione, quia in strage depingenda fluendi notione carere possumus; sed non ineleganter illo verbo ventorum cum flumine comparatio illustratur. Plura huius generis hic afferre supersedeo, ne haec expositio ultra popositi fines, quo id maxime mihi proposueram, ut verborum copulationem non etiam sententiarum repetitionem tractarem, longius extendatur.

Sed his duabus rebus in reddenda ratione, ut voce Lucretiana utar, non neglegendis, sententiae utilitati et orationis venustati, accedit tertia et ultima neque ea parvo in poeta pondere atque momento, numerus versuum, in quem excolendum poeta, quo diligentior erit, eo plus conferet studii atque operae. Neque solum quae sint verba sed etiam quo loco posita sint, magni interest, multumque efficit non modo aptorum verborum electio sed saepe ipsa eorum intra versus fines collocatio. Haec autem quae dixi quomodo cum synonymorum quoque usu cohaereant, iam nonnullis exemplis ex eorum quae protuli numero petitis exponam. Meminerimus versus 961 libri III, ubi Lucretius postquam naturam ipsam loquentem induxit, hoc iudicat: *iure, ut opinor, agat, iure increpet inciletque,* quis non sentit magnum illud quod in verbis copulatis inest sententiae pondus etiam augeri, quod ea in fine versus una collocata fortius ad aures accidunt, et clausula illa non solum rei apte amplificatae exemplum dari sed etiam numeri cum quaesita gravitate conformati? Atque hic quidem etiam soni similitudo verborum ponderi suam venustatis partem addidit. Neque enim scilicet hae tres artis et effectus poetici partes, gravitas, numerus, ornatus, separatim semper perspiciuntur sed saepe conspirant inter se et coniuncta valent ad perfectam orationis compositionem. Et quod hoc uno loco ostendi, id aliis exemplis probatum et confirmatum videbis, si conferes versus I 559 *quod fregisset adhuc disturbans dissoluensque,* II 275 (tum corpus) *perspicuumst nobis invitis ire rapique*, V 716 *labitur omnimodis occursans officiensque* exempli causa electos, e quibus apparet, quantum poeta vim sententiae amplificet verbis simul significanti loco collocatis. Atque hoc in exemplis prolatis ita factum erat, ut verba cognominata in clausula

versus componerentur. Fit autem quoque, ut poeta verba synonyma in duas hexametri partes caesura divisas distribuat, ita maxime ut ea, alterum in initio alterum postremo versus loco posita aut utrumque in suae partis fine collocata, inter se respondeant. Declarant quod dico versus IV 916 *dissolvuntur enim tum demum membra fluuntque*, II 154 *sed complexa meant inter se conque globata*, II 648 *semota ab nostris rebus seiunctaque longe*, IV 1141 *et tamen implicitus quoque possis inque peditus*, et etiam in v. III 1002 *atque explere bonis rebus satiareque numquam* verborum concinnitas aperta est. In his omnibus consilium poetae et ars quaedam non negabitur, sed apparet ea ex studio poetico profecta non solum elegantiae servire sed etiam gravitatem sententiae iuvare. Nam cum notio priore verbo expressa altero repetitur et res quasi ad prius vocabulum redit, animus diutius in eadem cogitatione defigitur et numeri concinnitate attentior fit et allicitur. — Tamen si illos locos, ubi verba synonyma in fine versus copulata videmus, consideramus, non in omnibus aut elegantiae aut gravitatis cuiusdam rationem habitam esse apparet, sed vix aliud quid dici poterit nisi poetam verborum illa coniunctione versum plenum facere voluisse videri. Haec quasi numeri complementa quod insequentes poetae, quo perfectior ars eorum erat, magis evitarunt, Lucretius quidem hac verborum cognominatorum ratione, quae optime congruit cum rhetorica illa poetae ubertate dicendi qua excellit, commode usus est, ut numerum expleret. Nulla enim vere videtur alia causa extare talibus locis, qualis est versus I 442 *erit ut possint in eo res esse gerique*, nam si res in eo geruntur, eas ibi esse per se apparet, et idem sentiemus de hisce quae sunt similia: V 139/40 *ubi esse et crescere possit Seorsum anima atque animus* et inverso ordine antea in v. 131 *ubi quicquid crescat et insit*, quibus in parte libri III huic loco simillima a versu 782 usque ad versum 795 accedit etiam in v. 795 *durare genique ὑστέρον πρότερον* exemplum manifestum. Eiusdem sunt generis *sentire neque esse* quae claudunt versus libri III 550 et 631; nam carere possumus infinitivo *esse*, quamquam in priore ex duobus illis locis ad verbum *esse* pertinet contrarium sequentis enuntiati *sed tamen in parvo lincuntur tempore tabi;* eandem sententiam poeta mutatis verbis et aptiore eorum ordine exprimit, cum in versu 560 dicit *durare et sensibus uti.*

Deinde quamobrem putamus Lucretium duobus vocabulis in v. III 712 usum esse *quod si lincuntur et insunt,* cum in versu praecedenti *linquontur* solum idque conexui prorsus convenienter ponere

satis habuerit? Ego nullam causam video nisi quod hoc modo poeta versus numerum explevit, qui verbis sic supra necessitatem coniunctis adeo non offensus est, ut in v. I 479 mera et mira nobis quidem orationis ubertate dicat (res gestas) *non ita uti corpus per se constare neque esse* et in v. V 887/88 simili pleonasmo sed quaesita verborum collocatione de Centauris *ne forte ex homine et veterino semine equorum Confieri credas Centauros posse neque esse.*

Atque his exemplis accedunt alia, quibus hanc de qua nunc verba facio poetae rationem satis confirmari cognoscemus. Nam cur poeta in ea parte libri I, ubi de rebus loquitur paulatim crescentibus itaque certam materiem esse probantibus, in v. 191 duobus dicit verbis *quicque sua de materia grandescere alique*, cum grandescere sufficiat per se ipsum? Sed adiecto illo *alique* aptum habet versus exitum, quem hic repertum duobus aliis locis repetivit poeta: I 804 *in auras Aëris e terra res omnis crescere alique* et II 546 *procrescere alique.* In eodem genere praeterea est versus III 513 *commutare animum quicumque adoritur et infit; infit* enim est *aggreditur*, non de initio sed de conatu dictum, et remotum ab illa sententia, qua Vergilius hoc verbum saepe ponit, ubi dicta alicuius refert*). — Aliud deinde merae abundantiae exemplum extat in vs. II 1118/19

*) Sic *coepi* quoque conatum significat in v. 806 libri IV *nonne vides oculos etiam, cum tenvia quae sunt Cernere coeperunt, contendere se atque parare* et in v. VI 432 *hoc fit, ubi interdum non quit vis incita venti Rumpere quam coepit nubem* (sc. rumpere) *sed deprimit*, item interdum *incipio*, velut in Terenti Andriae versu 493 *Tibi videor esse, quem tam aperte fallere incipias dolis* (cui addere licet ex Nepotis Pelopida 1, 1 *si res explicare incipiam*), quem versum Munro certius attulisse videtur, quam Lucreti versus I 54/55 *nam tibi de summa caeli ratione deumque disserere incipiam* et IV 29 *nunc agere incipiam;* haec enim et una cum eis v. IV 880 *neque enim facere incipit ullam Rem quisquam* intellegi possunt ex usu illo vulgari, quo *coepi*, *coepto*, *incipio* cum infinitivo ut nostrum „anfangen" et Graecorum '*ἄρχεσθαι, ἐπιχειρεῖν, πειρᾶσθαι*' (vide Weiskium in libro de pleonasmo pagg. 101/2, 117/18) non temporis neque ordinis rationem habent sed ipsum agendi initium indicant ita ut saepe nihil exprimatur nisi verbi ipsius latior significatio; cf., si placet, hos locos: I 126 *lacrimas effundere salsas Coepisse* h. e. *effudisse lacrimas*, V 411 *umor — coepit superare*, V 443 *diffugere — partes coepere*, III 14 *simul ac ratio tua coepit vociferari* h. e. *vociferatur*, V 287 *simul ac — nubes succedere soli Coepere*, IV 529 *ire foras ubi coeperunt primordia vocum* VI 1118 (ubi) *aër inimicus serpere coepit*, IV 617 *spongiam — Si quis — premere ac siccare coëpit;* I 267 *ne — coeptes diffidere dictis;* IV 403 *iubar — erigere — Cum coeptat natura*, VI 255 *cum commoliri tempestas fulmina coeptat;* VI 906 *agere incipiam* cf. Verg. Georg. I 5 *hinc canere incipiam* quod unum Wakefieldus pluribus locis recte affert.

ut fit, ubi nilo iam plus est quod datur intra Vitalis venas, quam quod fluit atque recedit atque par est verborum ubertas in v. II 1128 *nam certe fluere atque recedere corpora rebus Multa manus dandum est,* IV 693 *nam penitus fluere atque recedere rebus odores Significat,* IV 857 *quippe etenim fluere atque recedere corpora rebus Multa modis multis docui*; his addo quae sunt similia: IV 63 *nam cur illa cadant magis ab rebusque recedant* haec certe alliterationis causa consociata et IV 142 *perpetuoque fluant ab rebus lapsaque cedant;* nam quamquam post hunc versum defectus est statuendus, tamen haec verba sine dubio cohaerent. Tribus denique verbis idem fere valentibus utitur poeta in v. IV 674 *et fluere et mitti volgo spargique* (fluctum odorum) *putandumst,* quo multitudo odorum undique effluentium luculentius oculis quasi animoque subiciatur; cf. II 1134/35 *in cunctas undique partis Plura modo dispargit et ab se corpora mittit,* et prope accedit versus VI 922 (ab rebus) *perpetuo fluere ac mitti spargique necessest Corpora.* — Iam sequitur in exemplorum ordine III 942 *nam tibi praeterea quod machiner inveniamque,* deinde IV 1144 *si quam petis ac vis*; nam *petere* et *velle* usitata et propria in hac re vocabula esse Lachmannus et Munro aptis exemplis demonstraverunt. Praeterea affero V 1388 *haec animos ollis mulcebant atque iuvabant,* VI 1034 *aër Omnibus est rebus circumdatus adpositusque,* deinde I 514 *corpore inane suo celare atque intus habere,* I 807 (sol) *fovet tribuitque calorem,* II 58, III 90, VI 38 *quae pueri in tenebris pavitant finguntque futura,* denique V 183 *quid vellent facere ut scirent animoque viderent* (cf. v. 1341 *animo praesentire atque videre*), quod repetitur in v. 1047; his addas postremo similis rationis exemplum versum 842 libri I *cetera consimili fingit ratione putatque.*

Antea iam videramus poetam ita nonnullis locis et sententiae ponderi profuisse et numeri venustati, ut alterum ex duobus verbis synonymis in initio alterum in fine versus poneret. Qua verborum collocatione aliquoties poetam ibi quoque usum esse, ubi sententiam nihil adiuvit sed unius numeri elegantiae causa verba sic collocavit, concedet fortasse, qui hos locos consideraverit: V 887/88 *ne forte ex homine et veterino semine equorum Confieri credas Centauros posse neque esse* iam antea a me allatum, IV 1276/77 *nam leviter quamvis quod crebro tunditur ictu, Vincitur in longo spatio tamen atque labascit;* nam *labascit* rem expressius tantum depingit, quae vincendi verbo vere enuntiatur sed minus lepide illustratur; VI 415 *ut pluere in multis regionibus et cadere imbris,* deinde IV 931 *tundier atque*

eius (sc. aëris, vide Munronis notam) *crebro pulsarier ictu,* IV 637 (serpens hominis tacta salivis) *disperit ac sese mandendo conficit ipsa* h. e. tribus verbis *se comedit ipsa,* praeterea II 828 *evanescere paulatim stinguique colorem,* III 189 *namque movetur aqua et tantillo momine flutat,* denique II 1068/69 *cum locus est praesto, nec res nec causa moratur Ulla, geri debent, nimirum, et confieri res.*

Quibus expositis hoc unum habeo quod postremo commemorem, poetam nonnullis locis consilio quodam, ut videtur, verba idem valentia ita collocare, ut altero in initio altero in praecedentis versus fine posito par versuum artius coniunctum effecisse videatur. Subicio nunc omnia quae inveni exempla, cum ipsa rationem qualis sit probatura esse existimem: I 375/76 *sic alias quoque res inter se posse moveri Et mutare locum, quamvis sint omnia plena,* II 278/79 *procedere saepe Praecipitesque rapi,* IV 320/21 *referri Ac resilire,* IV 422/23 *ferri Et fluere,* IV 883/84 *ire Inque gredi,* VI 215/16 *diducit euntis Dissoluitque,* VI 653/54 *si plane contueare Ac videas plane,* VI 895/96 *sic igitur per eum possunt erumpere fontem Et scatere illa foras, in stuppam semina quae cum* etqs. Ita enim Munro versum 896 iure mea sententia legit et interpungit, quem conferas ipsum in nota ad v. I 15. His similia sunt II 1173/74 *tabescere et ire Ad capulum,* IV 316/17 *indugredi porro pariter simulacra pedemque Ponere nobiscum,* V 715/16 (corpus) *quod fertur et una Labitur,* III 168/69 *praeterea pariter fungi cum corpore et una Consentire animum,* et conferri poterit VI 211/12 *ventus agens contrusit in unum Compressitque locum cogens* (sc. nubes).

Sed nondum res ad finem perducta est. In praecedentibus hoc ostendere conatus sum, poetam multa, plurima verba non sine quodam studio ac consilio coniunxisse; eum in omnibus certam rationem secutum esse demonstrare nec possum nec studeo. Attuli iam data occasione nonnulla et restant paulo plura, ubi quid poeta secutus sit aut minus certe iudicari aut diiudicari prorsus non poterit, quae quidem mira non videantur in poeta, quem verborum ubertatem haudquaquam evitasse satis iam vidimus. In quibus enumerandis incipio a vs. libri primi 613/14 *unde* (a primordiis) *neque avelli quicquam neque deminui iam Concedit natura,* I 985/86 (spatium summai) *undique si inclusum certis consisteret oris Finitumque foret,* ubi versu 985 poeta sententiam apte iam confecerat; hoc loco ceterum id fortasse nota dignum est, verbum *consistere* ut saepius eodemque modo atque verba simillima *stare, constare, extare* vix

aliam nisi copulae vim atque significationem habere*). — Post haec exempla affero ex libro primo versum 974 *alterutrum fatearis enim sumasque necessest,* deinde ex libro II vs. 788/89 *tum porro quae ducit et inlicit, ut tribuamus Principiis — causa colores,* v. 717 *vitalis motus consentire atque imitari,* ex libro III versum 592 *videtur Ire anima ac toto solui de corpore velle,* ex libro IV vs. 70 *iacere ac largiri* (res) *multa videmus* et 354 *sive etiam potius non*

*) Subicio hic, quo melius res circumspiciatur, eos locos, qui non pauci sunt, ubi illa verba cum participio coniuncta inveniuntur: III 349 *coniunctam consistere*, ubi praecedit *coniunctast causa salutis*, ita ut poetam variasse tantum orationem appareat, neque aliter intellego I 235 *consistit refecta*, 1028 *consistit creata*, II 906 *consistere creta*, III 844 *consistimus uniter apti*, V 60 *consistere creta*, ubi Munronem, si versionem eius comparabis, non semper sibi constitisse cognosces; deinde V 199 *tanta stat praedita culpa*, quod Lachmannus reposuit etiam in v. II 181, melius, ut mihi videtur, aliorum virorum doctorum invento: *tantast ea praedita culpa*, quod Lucretium hoc utroque loco scripsisse putant Pollius, Holtzius (in syntaxeos Lucretianae lineamentis p. 154). Munro priore loco vertit: *so great are the defects with which it is encumbered*, altero dixit: *it stands encumbered*, quod certe, si res recte intellegitur, non multum habet discriminis; quomodo autem intellegenda sit, declarant duo loci a Lachmanno ad versum II 181 allati, alter Varronis versus e Nonio petitus *cui si stet terrai traditus orbis* alter exemplum Lucretianum *et finita simul generatim tempora rebus Stare*, h. e. *finita esse* (I 563/64); nam in v. VI 1056 *pondere enim fretae partim stant* cum Munrone aptius de propria standi vi cogitabitur; *stant* est enim *non commoventur*, quod bene quadrat ad sententiam. Munro confert Aeneidos versum III 210 *Strophades Graio stant nomine dictae*, quo leviter poeta ac iocose sine dubio rei et nominis contrarium significat, et comparari potest apud Lucretium IV 424/25 *porticus aequali quamvis est denique ductu Stansque in perpetuum paribus suffulta columnis*, h. e. *aequali est ductu statque paribus columnis suffulta*, paulo significantius dictum simplici *paribusque columnis suffulta (est)*. — Praeterea hoc apte Munro dicit, apud Lucretium *constare* saepius quam *stare* hac sententia inveniri; posuit enim poeta illud his locis: I 502 *unde omnis rerum nunc constet summa creata*, id est: *unde creata sit omnis haec summa rerum*, vel *omnis rerum summa quae nunc est* ut I 1028, 235, cf. V 194 ubi uberius dicit *qualibus haec rerum geritur nunc summa novando;* deinde I 581 *praedita constant*, 584/85 *reddita finis constat*, contra antea 577 *nullast reddita finis*, I 848 *praedita constant*, I 950 *qua constet compta figura*, I 956/57 *utrum finitum omne Constet*, II 528 *summam materiai Finitam constare*, VI 219 *quali natura praedita constent Fulmina.* — Restat *extare*, quod his locis occurrit: I 587 *sancitum extat*, 625 *quae nullis praedita partibus extent*, V 1032 *cornua nata extent*, VI 188 *sursum extructa quid extent*, 494 *exitus introitusque elementis redditus extat*, denique II 933 ubi Munronis *proditus extet* mihi valde placet; sed quod idem vir doctus hoc loco exempli causa affert III 927 *nec quisquam expergitus extat*, ei propriam vim relinquendam esse existimo: *nec quisquam extat qui experrectus sit*, postquam somno sempiterno consopitus est. (cf. IV 1220 *maternoque mares existunt corpore creti.*)

cernitur ac perit eius Plaga priore verbo negante altero rem affirmante, cf. I 165/66 *nec fructus idem arboribus constare solerent Sed mutarentur;* contraria res est in v. III 996 *imperium, quod inanest nec datur umquam,* ubi illud *inane est* verbis *nec datur umquam* declaratur. Ex libro V deinde affero vs. 524 *quo cuiusque cibus vocat atque invitat euntis,* 949 *et partim plano scatere atque erumpere campo* de fontibus dictum, cf. VI 896; paulo aliter se habent verba versus V 596 *scatere atque erumpere lumen,* ubi *erumpere* transitivam habet sententiam — haec enim quidem simplicissima videtur interpretandi ratio, ad quam Wakefieldus nonnulla apte congessit exempla. — Restant ex libro VI vs. 322 *inter enim fugit ac penetrat per rara viarum* (cf. IV 891 *per patefacta venit penetratque foramina largus*); nam *interfugit* est *celeriter perlabitur,* de qua praepositionis *inter* in compositis significatione plura dat Munro ad v. 716 libri IV; deinde v. 967 (ignis) *coria et carnem trahit et conducit in unum,* vs. 1119/20 *ut nebula ac nubes paulatim repit et omne Qua graditur conturbat et immutare coactat* cf. V 828 *omnia commutat natura et vertere cogit;* practerea 1022/23 *simul a fronte est anelli rarior aër Factus inanitusque locus magis ac vacuatus* et cogat agmen versus 836 libri VI *hic ubi nixari nequeunt insistereque alis* (sc. aves), ubi *alis* non dativus est, quem Munro videtur intellegere, sed ablativus ex utroque infinitivo pendens. *Nixantur* autem et *insistunt* aves, cum pendent in aëre nec cadunt in terram, alis quasi libratae. Item Vergilius de Mercurio dicit in Aeneidos libro IV, v. 252 *hic primum paribus nitens Cyllenius alis Constitit* et Ovidius de Sirenibus in Met. V 558 *posse super fluctus alarum insistere remis Optastis,* quorum verborum sententia aperta est.

Jam ad finem huius partis perveni, qua verborum synonymorum rationes, quantum id meis viribus perficere potui, satis illustrasse mihi videor. Qua in re si aut in ipsis rationibus adumbratis aut in locis exempli causa allatis sunt, quae aut desiderentur aut aliter iudicentur, non contendam cum viris doctioribus, qui haec plenius explicuissent et verius statuissent; sed concedetur fortasse difficilem esse hanc rem, in qua sensus saepe plus quam ratio valeat et de multis locis aliud aliorum possit esse iudicium. Neque res plane absoluta est ipso verborum usu illustrato. Coniuncta est enim cum his nominum, adiectivorum, adverbiorum ratio, quae adhuc praetermiseram ideo maxime quod haec quae exposui multo magis eminent atque extant in verbis, ut in gravissima enuntiati parte, quam in his minoribus orationis membris, quorum tamen usum abundantem

si nunc pertractabimus, easdem rationes hic quoque valuisse cognoscemus, quas in verbis poetam secutum esse antea ostendi. Atque multis quidem locis hic quoque studium alliterationis poetam adduxit, ut praeter sententiae necessitatem synonymis uteretur, cuius quidem e nominibus haec inveni aperta et certa exempla: II 920/21 *coetu concilioque* (primordia) *Nil facient praeter volgum turbamque animantum,* ubi *coetus* et *concilium* item prorsus pari sententia iugantur atque in Ciceronis libello de senectute 23, 84 *o praeclarum diem, cum in illud divinum animorum concilium coetumque proficiscar* et in libro de finibus bonorum et malorum II. 24, 77 *mihi eae verae videntur opiniones, quae in omni coetu concilioque profitendae sint* pariterque apud Livium II. 38, 4 *piorum coetu concilioque;* cum his apte compones quae Lucretius ipse coniunxit in v. 843 libri III *comptu coniugioque Corporis atque animae consistimus uniter apti,* de quo comptu nos docet Lachmannus in commentarii pag. 135. — Eodem alliterationis studio extitit manifesto versus II 802 (pluma columbarum) *quae sita cervices circum collumque coronat,* ubi abundantiam quidem orationis quae est in verbis *cervices collumque* conexis — quid enim cervicibus opus est, ubi totum collum nominatur, — evitat, si quis Briegeri coniecturam (in Phil. 25 p. 73) *cervicemst* accipit, cuius tamen causam necessariam ego nullam video; nam et huius pleonasmi genus exemplis probatur nec participium *sita* — *circum* alienum est a more dicendi Lucretiano, quem postea copiosius exponam. — Nunc quidem in nominum exemplis pergo, ex quibus nullum huius poetae morem luculentius illustrat quam id quod extat in v. 634 libri IV *tantaque in his rebus distantia differitasque.* Haec enim mihi videtur magna audacia, qua poeta, quia vocabulo *differentia* in fine versus uti per metrum non licebat, ut alliteratio servaretur et versus plenus fieret, quem aliter formare poterat, hoc uno loco de suo finxit vocem *differitas*, neque ea apta est sermonis amplificatio quae efficitur tali arbitrio. Sed sunt multa alia, quae quantum poetae ingenium ad talia alliterationis ludibria propensum fuerit aperte ostendunt, velut v. V 970 *circum se foliis ac frondibus involventes.* Quid enim, quaeso, differunt a foliis frondes, quae et ipsae manifesto hic sunt folia illa, quorum multitudine, cum ex arboribus deciderunt, humus sternitur? Nec minus clarum est illud *multosque lacus multasque lucunas* VI 538, quae nomina plane idem significant aeque ac verba versus sequentis *rupes deruptaque saxa*, in quibus evidentissima exsistit alliterationis meditatae forma et imago. Neque profecto video, quid aliud voluerit poeta, cum haec

inter se coniungeret *Averna — quae sunt loca cumque lacusque* VI 738, cum locis Avernis etiam lacus sine dubio comprehendantur. An arida loca Lucretius paludibus opposuit? Non puto eum sic loqui potuisse et poetam hoc non voluisse sentiet, qui totum locum perlegerit. Ne autem quis miram loquendi rationem mihi obiciat, haec non magis mire dicta sunt quam quae antea attuli et quae praeterea proponam alliterationis signo aperto notata. Velut ubi poeta agricolas dicit in opere duro durare *membra manusque* V 1358, orationem simili pacto ultra necessitatem abundare apparet; quamquam sentimus manus, ut eam corporis partem quae omnium maxime duretur, non sine vi quadam ac consilio etiam nominatim appellari. Atque eadem est ratio in v. 866 libri IV *patentem Per membra ac venas ut amorem opturet edendi*, ubi corporis significationi graviter etiam venas additas videmus; nam in ipsis venis, ut cibum potionemque veterum opinione recipientibus (cf. Ruhnkenium ad Rutilium Lupum, pagg. 103/4) famem primum ac potissimum exsistere necesse est (etiam apud Ovid. in Met. 8, 820 Fames ieiunia spargit in venis Erysichthonis). Et sunt apud Lucretium quoque pauca alia schematis illius *καθ' ὅλον καὶ κατὰ μέρος*, quod dicitur, exempla, velut quod saepius in fine versus occurrit *ora genasque* I 920, II 977, III 469, deinde *maternis etiam membris alvoque reposta* III 346, item *proinde quasi ignotas facies atque ora tuantur* IV 997; *mensibus atque annis qui multis occidit ante* III 1092, ubi totum cum emphasi post partem collocatum invenimus. — Hic fortasse apte commemorabitur etiam usus ille, quo pronomini personali vox certior cum gravitate postponitur et apud Lucretium I 6/7 *te — Adventumque tuum*, I 12 *te — tuumque — initum*, III 917 *nec sibi enim quisquam tum se vitamque requirit* et apud alios scriptores, cf. Ennium in Annalium reliquiis v. 111, in Tragoediar. v. 221, Saturar. v. 17, Vergilium in Aen. IV 492, VIII 377/78, Ciceronis orationem Philippicam III. cap. 13, 33. (vide etiam Lobeckium in commentario ad Aiacem, v. 1147). — Sed hac re exposita rursus ad propositum revertamur; nam restant in nominum numero alliterationis nonnulla aperta exempla. An aliam causam putamus esse, cur poeta *nubes* et *nimbos* coniugaverit in v. 521 libri VI, ubi dicit pluvias diu remanere, ubi multa cieantur semina aquarum atque aliis aliae nubes nimbique insuper . . . . . ferantur? Quamquam enim nubis notio est generalis, nimbi autem dicuntur nubes, quoad ad tempestatem pertinent atque pluviam demittunt, tamen hoc loco etiam nubes terram imbri rigantes intelleguntur neque profecto hic sententiae discrimen esse potest.

Eodem modo poeta etiam in vs. 509/—11 et 525/26 nominibus illis plane synonymis orationem variavit atque vicissim alio loco VI 483/84, ubi quomodo nubila concrescant disserens haec profert *fit quoque ut huc veniant in caelum extrinsecus illa Corpora quae faciunt nubes nimbosque volantes* in sententia satis generali nimborum vocabulo facile careamus. Sed semper eadem res est, idem alliterationis studium, quo ductus poeta etiam in vs. V 43/44 dixit *quae proelia nobis Atque pericula tumst ingratis insinuandum*, cum utroque nomine ad sententiam idem fere valente alterum poni satis esset, neque aut Lucretius aliud quid in animo habuit, cum *praesidium* et *perfugium* consociaret in v. 1107 libri V aut Cicero, alliterationis orator studiosissimus, cum eisdem verbis satis abunde uteretur in orat. pro Rabir. perd. reo 2, 4 (cf. Plaut. Cas. 3, 5, 2 *nescio, unde auxili, praesidi, perfugi mi aut opum copiam conparem*); eandemque rationem nescio cur non agnoscam in v. I 879, ubi poeta de illis primordiis loquitur, quae sunt *magis in promptu primaque in fronte locata*, quamquam hic quidem fieri potest, ut poeta verborum illa coniunctione abundanti absolvatur, si hoc loco ad Munronis sententiam verba sic componuntur: *cuius sint plurima mixta et magis in promptu sint primaque in fronte locata*, atque simili loco libri IV v. 95 verba *in prima fronte locata* praecedenti *in promptu quoniam est* quasi apposita finguntur. Sed neque necessarium aut simplicius hoc esse puto neque dubito poetae talem abundantiam adscribere non hic magis quam aliis locis, ubi viri docti interpretationis arte subtiliore significationis sententiaeque discrimina quaedam vix iure mihi videntur statuisse. Exempli causa affero illud *non cadere in terram stellas et sidera cernis?* in v. II 209. Quis enim de vulgari stellarum et siderum definitione, qua sidus factum est pluribus stellis quamque secutus etiam Munro *single stars and constellations* intellegit, quis dico de tali distinctione, quamvis aliis locis apta sit, in hoc versu cogitabit, ubi poeta nihil aliud significare vult nisi has quasi scintillas vel flammarum corpora, quae per caelum serenum volantia oculis in terram decidere videntur (cf. Ovid. Met. II 321/22 *fertur, ut interdum de caelo stella sereno Etsi non cecidit, potuit cecidisse videri*)? Mihi dubium non est, quin poeta alliterationis amore devinctus his duobus nominibus prorsus eandem rem significaverit. Praeterea nemo hoc nescit stellas a poetis siderum voce quasi nobiliore et magis poetico vocabulo frequentari neque inepte cum illo Lucreti versu conferes hos Ovidi Nasonis locos: Met. XIV 846 *ibi sidus ab aethere lapsum Decidit in terras* (adde v. 848) et XV 749 (Caesarem bella

resque domi gestae) *in sidus vertere novum stellamque comantem.* Lucretius autem quam non reformidet talem eiusdem rei duplicem significationem praecedentia exempla satis ostendisse spero, quae confirmantur hisce locis, abundantiae et alliterationis apertae item quasi testibus locupletibus: III 744/45 *certa suo quia semine seminioque Vis animi pariter crescit cum corpore toto,* II 196 *nonne vides etiam, quanta vi tigna trabesque Respuat umor aquae,* VI 915 *ex alioque alius* (anulus) *lapidis vim vinclaque noscit,* III 80 *vitae Percipit humanos odium lucisque videndae,* ex quibus quatuor locis, quo melius quid differat aptum et ineptum genus dicendi cognoscatur, alterum cum versibus 192 libri II et 241 libri VI comparemus; hic enim, ubi *tigna* et *trabes* item copulantur, simul non sine vi ac ratione tota domus contabulatio partibus suis significatur, ibi contra, ubi poeta sine ullo sententiae pondere de lignis in aquam depressis loquitur, cur iisdem duobus vocabulis omnino praeter necessitatem usus esse potest nisi numerum explendi orationemque exornandi studio impulsus? Atque hoc idem studium ostendunt duo qui restant loci VI 1020/21 *huc accedit item — quare queat id magis esse, Haec quoque res adiumento motuque iuvatur* — (ita scribo Munronem sequens) et III 144 *cetera pars animae — Paret et ad numen mentis momenque movetur.* Nam priore loco, ubi habemus *adiumento motuque iuvatur,* h. e. *motu adiuvante iuvatur* (cogitavit in hac re poeta de animo corpus movente, qui et ipse externa vi aëris iuvatur, vide vs. IV 874—94) illud *adiumento* nisi ex similitudine verbi *iuvatur* ortum non videtur, in altero autem versu, ubi poeta verba *ad numen mentis momenque* satis abunde ad sententiam composuit — sunt enim: *iussa et impulsa mente* (anima movetur), cf. III 188/89 *momine — parvo — impulsa, movetur — et tantillo momine flutat* — soni similitudo aperta est (cf. etiam Liv. VII. 30, 20 *adnuite .... nutum numenque vestrum Campanis*).

Post haec nominum exempla ad adiectiva transeo, quae parva egent explicandi opera. Neque enim in vs. I 778/79 *at primordia gignundis in rebus oportet* (quod a Lachmanno in *necessest* mutatum Munro restituit) *Naturam clandestinam caecamque adhibere* duobus adiectivis idem denotari obscurum est, quae iterum poeta coniunxit II 128 *motus — clandestinos caecosque,* neque haec eiusdem alliterationis esse exempla: II 1104 *exanimatque indignos inque merentes,* III 800/1 *quid enim diversius esse putandumst Aut magis inter se disiunctum discrepitansque,* ubi senties vim gravem verborum copiae, V 1439 *et divisa colebatur discretaque tellus,* IV 958 *et divisior inter*

se ac distractior intus. Ultimo tamen loco ne quis miretur mea verba a Bernaysii textu discrepare, hoc moneam hanc quam dedi esse codicum lectionem, duram quidem illam sed ita comparatam, ut mutare non audeam. Illud *intus* enim respondet adverbio *foras* in versu praecedenti et extant tria illa quae Lachmannus postulavit membra orationis, cum in v. 958 ut plena fiat sententia *anima* subiectum et *fit* verbum enuntiati ex praecedentibus versibus intellegatur necesse sit. Quod si cui tamen audacius videtur, quam ut emendatione carere possimus, similis elocutionis exemplo eum refutare nequeo. His alliterationis locis adiungo praeterea versum 100 libri I *exitus ut classi felix faustusque daretur* non sine quadam sollemni verborum gravitate dictum cum irrisione poetae indignantis aperta, deinde V 1152 *nec facilest placidam ac pacatam degere vitam,* III 778 *quae prima potissimaque insinuetur,* denique III 1044 *mortua cui vita est prope iam vivo atque videnti* (cf. V 991 *viva videns vivo sepeliri viscera busto*) de quibus vocibus proverbii loco coniunctis ne hic doctiorum virorum verba repetam adeas, si placet, Wakefieldum (in v. 1059 editionis Wakf.) et Munronem.

Jam vero ad nomina rediens paucos eos locos tractabo, ubi ea quam in verbis supra exposui ratione proprium vocabulum sequitur synonyma phrasis poetice figurata; velut IV 1270 ubi Lucretius dicit *nec divinitus interdum Venerisque sagittis Deteriore fit ut forma muliercula ametur* id quod voce *divinitus* proprie et perspicue expressit, venusta imagine Veneris tela conicientis repetivit poeta, idemque videmus V 1102 *verberibus radiorum atque aestu victa per agros,* ubi verba translata praecedunt et V 487/88 *sudor Augebat mare — camposque natantis* duplicique metaphora VI 404/5 *undas — et liquidam molem camposque natantis,* quibus Wakefieldus apte comparat *segetes altas camposque natantis* in Vergili Georgicis III 198, ubi campis natantibus segetes quasi fluctuantes significantur; *campos liquentes* de mari dictos Munro ex Aen. VI 724 probavit neque inepte conferentur Plauti Trin. IV. 1, 15 *caeruleos per campos* et Homeri *ὑγρὰ κέλευθα.* — His locis restat ut adiciam bellum et apertum metonymiae exemplum in verbis v. V 780 *genus herbarum viridemque nitorem* et pulchram eamque saepius apud Lucretium obviam translationem in verbis *non radii solis neque lucida tela diei* I 147, II 60, III 92, VI 40.

Hinc statim ad aliam quaestionem me verto, quae et ipsa cum eis quae de verbis iam dixi conexa est atque cohaeret. Cum enim magnum Germanici et Latini sermonis discrimen in eo positum esse

viderimus quod, ubi nos adverbiis aut phrasi adverbii loco posita sententiam verbi augemus, scriptores Latini propter inopiam talium adverbiorum hanc vim saepe duobus verbis synonymis coniunctis effecerunt, ea res nota num etiam ad nomina pertineat, quaestio fit cognitione sat digna. Neque enim hoc non videmus sermonem Latinum ab ea adiectivorum varietate quibus nobis nominum vim amplificare licet longe abesse. Qua in re Naegelsbachius cum in libro de stilo Latino § 73, 2 nonnulla recte contulisset velut e Cicerone *metum ac timorem* (Verr. IV. 19, 41), *recordationem et memoriam* (Lael. 27, 104), *temeritas et casus, non ratio nec consilium valet* (Div. II. 41, 85), *ex hoc cursu atque impetu animorum ad veram laudem* (Tusc. II. 24, 58), illa distinctius ab eis locis secernere poterat, ubi duo nomina coniuncta non idem fere significant sed alterum cum altero adiectivi loco copulatum propriam habet et ad sententiae conexum necessariam vim atque significationem, velut cum quod nos dicimus 'jugendliche Kräfte' a Cicerone duobus nominibus *iuventute ac viribus* (de senect. 6, 15) expressum esse, 'laute Verwunderung' eundem *clamorem et admirationem* (Verr. V. 41, 106) dixisse videmus, et quae sunt id genus multa alia. Hoc tamen mihi videtur certum esse, ibi ubi Germanica latine vertimus, multa adiectiva, quibus nominis notio non quodam modo accuratius definitur sed tantum amplificatur, opportune etiam duobus nominibus quae idem valent copulatis reddere licere, ne illo paene solo auxilio adiectivorum *magnus* vel *summus* semper uti cogamur. Nostrum 'völlige Harmonie', ut hoc unum addam, a Cicerone sic varie expressum invenimus: voluntatum, studiorum, sententiarum *summa consensio* (Lael. 4, 15), in ea (in virtute) est *convenientia rerum* (Lael. 27, 100), *omnis haec conspiratio consênsusque* virtutum (de fin. V. 23, 66) sed etiam sola nominum copulatione *qua ex coniunctione naturae et quasi concentu atque consensu* (de div. II. 15, 34). — Sed hanc rem magis adumbrare possum quam copiose illustrare et satis habeo rei rationem significasse. Jam vero si quis talia exempla apud Lucretium quaerit, extant etiam apud illum pauca sed, ut mihi videtur, satis aperta. Namque illud *cuius — rei simulacrum et imago* (quibus duobus nominibus respondent duo verba in fine versus sequentis *ante oculos semper nobis versatur et instat* II 112/13) par est nostro 'ein deutliches Bild von diesem Vorgange' et IV 588 verbis *cetera de genere hoc monstra ac portenta loquontur* mira talium fabularum ratio duplici vocabulo cum gravitate aperta notatur; item in v. VI 933 *nec mora nec requies interdatur ulla fluendi* vim elocutionis Latinae aequare possumus vertentes 'und

nicht die geringste Pause — ist ihnen gestattet'. Haec exempla quamquam numero verborum locis similibus longe inferiora sunt, tamen rem qualis sit satis ostendunt et dignam eam esse demonstrant ad quam animos advertamus.

Sed verborum ac nominum ratione cognita hanc rem nondum perfectam esse liquet. Nam ipsa huius quaestionis natura et ordine eo adducimur ut inquiramus, quoad huc pertineant adiectivorum et adverbiorum quae synonyma inveniuntur coniuncta exempla, in quibus quidem, ut statim quid iudicem profitear, orationis Latinae usus similis atque in verbis et nominibus exsistere mihi videtur. Qua in re paucos locos proferam talia monens: *rebus — pertinentibus ad bene beateque vivendum* (in Ciceronis de officiis libro I c. 6, 19) alliteratione vim adverbiorum adiuvante et copulationem illam quasi commendante, *accurate sane et diligenter* (mit eingehender Sorgfalt) *de dis immortalibus disputatum est* (de nat. deor. I. 6, 15), *partam — praesentemque victoriam* apud Caes. in bell. civ. III. 73, 5, *ut ea res prospera et laeta eveniret* (in Livi libro XXXVII cap. 47, 4, *res occultas et penitus abditas* (die allerverborgensten Erscheinungen) in Ciceronis libro de natura deor. primo, cap. 19, 49, denique notum illud *unus et idem;* his tamen quamvis paucis apte ea praeparantur quae Lucretiana exempla eandem rem satis probabili testimonio confirmant. Nam cum, ut L. Muellerus dicit in libro de re metrica poetarum Latinorum, pagina 241, severis auctoribus artis (poeticae) non placuerint uni substantivo bina nedum plura addita adiectiva nisi in formulis quales sint *felix faustusque, maius meliusque* (alliteratione sine dubio excusandis), talis severitas a Lucreti more dicendi aliena est, qui mixto in carminibus poetico colore cum prosae orationis simplicitate et elocutionis oratoriae gravitate id ita non veritus est, ut saepius duo adiectiva synonyma coniuncta uni nomini adiecerit, multa tamen ex his ita, ut vim quandam sententiae eo efficere voluisse videatur. Hoc enim apparet in verbis versus I 506 *esse utramque sibi per se puramque necessest,* quibuscum conferre iuvabit similem verborum gravem cumulationem in Platonis Phaedone p. 66 A init. *ἀλλ' αὐτῇ καθ' αὐτὴν εἰλικρινεῖ τῇ διανοίᾳ χρώμενος αὐτὸ καθ' αὐτὸ εἰλικρινὲς ἕκαστον ἐπιχειροῖ θηρεύειν τῶν ὄντων,* ubi adeas Stallbaumium; deinde in vs. I 835/36 *e pauxillis atque minutis Ossibus* (hic) *et de pauxillis atque minutis Visceribus,* h. e. *e minutissimis ossibus et minutissimis visceribus,* tum in v. II 47 *quod si ridicula haec ludibriaque esse videmus* et fortius II 985 *quod si delira haec furiosaque cernimus esse,* item II 149 *omnibus*

in promptu manifestumque esse videmus (cf. v. 246), II 919 *atque animalia sint mortalibus una eademque*, III 424 *quatenus est unum inter se coniunctaque res est*, II 1078 (res) *unica quae gignatur et unica solaque crescat* atque similiter *res — una — solaque* in Horat. epist. I. 6, 1/2, praeterea III 196 *aura — suspensa levisque* id est *aura quamvis levis* ut dicit I 434 *tactus — quamvis levis exiguusque,* III 958 *ante Quam satur ac plenus possis discedere rerum,* III 785 V 131 *certum ac dispositumst* (festbestimmt), *ubi quicquid crescat et insit* cf. III 792/93 V 138/39, V 97 *res nova miraque menti,* IV 264 *tangimus extremum saxi summumque colorem* (die alleräusserste Oberfläche), V 590 *esse vel exigua maioris parte brevique* cum vi oppositum praecedenti *perquam pauxillo — minores esse,* nec diversa est ratio VI 651 *quam sit parvula pars et quam multesima constet* (ein wie verschwindend kleiner Teil er ist). Similis denique res est etiam eis locis, ubi ut in vs. III 466 *altum Aeternumque soporem* et VI 552 *in magnas aqüae vastasque lucunas* posterioris adiectivi, cum per se fortior sit, notio priore adiuvatur, quamquam id altero loco Wakefieldo, ut 'lectori lepido', valde displicuit, quod idem tamen fit I 736 V 52, II 644 in adverbiis *bene ac divinitus* et *bene et eximie* coniunctis.

Praeterea autem aliis locis poeta duas voces idem valentes sic copulavit ut, quamquam dici non potest sententiae vim quasi duplicari, tamen eam, quae inest in verbis significatio, graviore quodam sono enuntiari sentiamus. Nonnumquam Lucretium has voces sic posuisse videmus ut, quod iam priore loco exposui, altera in initio versus alteri in exitu collocatae respondente, ipso quem in versu obtinent loco sententia verborum magis emineat. Haec mihi videtur ratio his locis: I 171 *materies ubi inest cuiusque et corpora prima* (cf. I 501), VI 447 *turbinis immanem vim provomit atque procellae,* ubi procella addita vis turbinis immanis melius illustratur, cum aliis locis procellae a turbinibus ut proprium ventorum genus distinguantur, ut a Cicerone in libro de nat. deor. III c. 20, 51 *ergo imbres, nimbi, procellae, turbines dei putandi;* deinde VI 566 (mundum) *exitiale aliquod tempus clademque manere,* item in his adiectivorum exemplis: I 646 *ex uno si sunt igni puroque creatae* (cf. II 777 *unum purumque nitorem,* 782 *alio in quovis uno puroque nitore,* V 448 *puri secretique aetheris ignis*), I 759 *deinde inimica modis multis sunt atque veneno,* I 957 *an immensum pateat vasteque profundum,* II 46 *tum vacuum pectus lincunt curaque solutum* cum prolepsi dictum, III 950 *grandior hic vero si iam seniorque queratur,* V 158/59 *opus divom laudare — Aeternumque putare atque immortale*

futurum (III 802 coniungit Lucretius verba *immortali atque perenni* item non sine pondere sententiae), V 604 *opportunus ita est si forte et idoneus aër* et pariter VI 318 *opportuna fuit si forte et idonea flammis,* de quibus adiectivis consociatis cf. Caes. bell. Gall. II 8 *loco — ad aciem instruendam natura opportuno et idoneo* (h. e. trefflich geeignet), videas quoque vs. III 206/7 *quae tibi cognita res — Utilis invenietur et opportuna cluebit;* deinde V 1058 *dissimiles soleant voces variasque ciere* item II 783 *dissimiles longe inter se variosque colores* et simili vi positum II 825 *aut alio quovis uno varioque colore,* neque denique gravitate sententiae caret illud *non tamen ut coram quae sunt vereque rutunda* IV 360, e quibus adverbiis *coram* sequenti *adumbratim, vere* participio *simulata* respondere videtur. — Saepius deinde poeta ita quoque notionis vim fortius extulit, ut pari nominum synonymorum idem adiectivum bis aut altero loco cognominatum attribueret velut II 1054 *seminaque innumero numero summaque profunda — volitent,* III 614/15 (animus) *unis Sedibus et certis regionibus omnibus* (non *pectoris,* quod scripsit Lachmannus) *haeret,* III 791 V 137 *tandem in eodem homine atque in eodem vase* (vide v. III 553) *manere,* IV 741 *propter subtilem naturam et tenvia texta,* VI 775 *propter dissimilem naturam dissimilisque Texturas inter sese primasque figuras* (cf. VI 995 *propter dissimilem naturam textaque rerum*), IV 938 *corporis ad primas partis elementaque prima,* V 345 *tantis morbis tantisque periclis,* V 730 *ordine formarum certo certisque figuris,* V 859 *genus acre leonum saevaque saecla,* V 876 *duplici natura et corpore bino,* VI 611 *adde vagos imbres tempestatesque volantes,* denique V 1237 *atque potestatis magnas mirasque relinquunt In rebus viris divum,* quae nomina simili abundantia sed sine sententiae pondere poetam etiam in libro II v. 586/87 coniunxisse videmus; multoque maior haec quidem sententiae vis ibi exsistit, ubi nomina synonyma non copula coniunguntur sed *ἀσυνδέτως* ponuntur, ut IV 487/88 *nam seorsum cuique potestas Divisast, sua vis cuiquest,* cui exemplo compares v. I 110 *nunc ratio nulla est restandi, nulla facultas.*

Sunt tamen praeterea multa quae synonyma coniuncta ad sententiam augendam nil pertinent, pauca quidem fortasse ita comparata, ut in verbis eligendis ratio quaedam rhetorica valuisse putanda sit, velut I 83 adiectiva *scelerosa atque impia* (eadem copulavit Terentius in Eunucho, IV. 3, 1 *ubi ego illum scelerosum — atque impium inveniam?*) chiastico ordine duabus partibus enuntiati praecedentis *ne forte* etqs. non sine poetae consilio respondent; item IV 455 quod uberius poeta dixit, *in noctis caligine caeca Cernere censemus solem*

lumenque diurnum, solem in caligine caeca, nocte lumen diei videri efficaci contrario enuntiavit, neque non agnoscenda est talis orationis aequabilitas in versibus V 637—40 aperte meditata atque quaesita.

Praeterea hic quoque nonnulla extant, quae sine pondere sententiae in fine versus copulata e metri quadam ratione orta videntur esse et de quibus, ut in similibus verborum exemplis iam exposui, hoc tantum dici poterit poetam tali vocum coniunctione commodissime metrum explevisse. Hoc mea sententia eis quos iam afferam locis facile elucebit, in quorum ordine enumerando primum nominum exempla tractabo. Sunt enim haec: I 74 *atque omne immensum peragravit mente animoque*, ubi *mens* et *animus* plane synonyma, ut videtur, a Lucretio copulantur, neque hic solum sed etiam pluribus locis, quos statim sub uno ponam conspectu, ne ad eandem rem saepius redire cogar. Quod ad utriusque vocabuli sententiam pertinet, mens pars est animi, quod Cicero aperte dicit in libro de republica altero, cap. 40, in verbis *ea quae latet in animis hominum quaeque pars animi mens vocatur;* porro autem animus, ut vis sentiendi, cum mente, ut vi intellegendi, ita copulatus invenitur, ut coniungendo omnes animi partes fortius significentur; cf. Caes. bell. Gall. I 39 *ut* (timor) *non mediocriter omnium mentes animosque perturbaret*, item VI 5, bell. civ. I 21, Doederleinium in libri antea laudati vol. V. p. 94/95. Tamen duo animi et mentis vocabula saepe mutata esse Lucretius ipse dicit III 94 *primum animum dico, mentem quam saepe vocamus* et probatur hoc Lucretianis aliorumque scriptorum sat multis locis ubi abunde coniuncta extant, velut apud Lucretium in vs. III 139 *consilium, quod nos animum mentemque vocamus*, 142 *hic ergo mens animusquest*, 398 *sine mente animoque*, 402 *cui mens animusque remansit;* item Cicero loquitur de nat. deor. I. 14, 37, I. 15, 39 *universae naturae animo atque mente* (ubi vide Schoemanni notam), Catil. I. 11, 27 et apud ipsum Vergilium duobus locis ea invenimus, in Aen. I 304 *animum mentemque benignam* et VI 11 *magnam — mentem animumque — inspirat*, mera tautologia posita ut apud Horatium in epist. I. 14, 8 *mens animusque Fert.* Saepe etiam haec non coniunguntur inter se sed simili abundantiae genere genetivus *animi* a mentis nomine pendet non solum apud Lucretium velut III 613 *animi — mens consiliumque*, IV 756 *mens animi vigilat*, V 149, VI 1181, sed etiam apud alios poetas, apud Plautum in Cistellaria II. 1, 6, in Epidico IV. 1, 4, apud Catullum in carm.*)

---

*) cf. Munronem ad v. III 615 et Iesseni librum: Lucrez u. sein Verhältnis zu Catull u. Späteren p. 12. —

65 v. 4. — Huc referendum est etiam illud *consilium*, quod eadem sententia atque *mens* et *animus* (cf. III 95 *animum dico — In quo consilium vitae regimenque locatum est* et 139 *consilium, quod nos animum mentemque vocamus*) coniunctum extat in vs. III 613 *animi — mens consiliumque*, V 127 *animi natura — consiliumque* et addo hic illud *acria corda Iracundaque mens* III 295 (cf. Aen. V 643 *arrectae mentes stupefactaque corda Iliadum*). — Ab his locis transeo ad. v. I 444 *nec praebere locum porro nisi inane vacansque;* iterum invenitur illud *inane vacansque* in v. I 334, quem tamen adulterinum esse vulgo conceditur. Deinde affero vs. I 964 *caret ergo fine modoque*, II 92 *quoniam spatium sine fine modoquest* (cf. notum illud *finem et modum transire*, quod nos pari ubertate vertimus 'Mass und Ziel überschreiten'), I 1041 *aliqua ratione aversa viaque* (sic recte videtur Lachmannus versum in fine mutilatum explevisse), V 732 *atque alia illius reparari in parte locoque* a Munrone bene ita explicatum: reparari in loco et partes eius suscipere, qua explicatione scilicet abundantia non tollitur. Iam sequuntur vs. II 1145 *moenia mundi Expugnata dabunt labem putrisque ruinas*, ubi similis mihi videtur pleonasmus atque V 347 *darent late cladem magnasque ruinas;* III 61 *socios scelerum atque ministros*, IV 42 *rerum effigias tenuisque figuras* (cf. IV 34/35 *saepe figuras Contuimur miras simulacraque luce carentum*, 156 *texturas rerum tenuis tenuisque figuras*), V 1401 *risus dulcesque cachinni* (vide v. 1395), V 1145 (genus humanum) *sponte sua cecidit sub leges artaque iura*, cum hic iura et leges sine dubio idem fere valeant, quamquam aliis locis iura latius patent; cf. Munronis notam, qui affert Hor. ep. I. 16, 41 et Iuven. II 72; idem Horatius dicit Serm. I. 1, 9 *iuris legumque peritum*, cum velut in Aeneide I 507 in verbis *iura dabat legesque viris* iura sint decreta iudicialia, leges ad praecepta ac disciplinam publicam pertineant.

Post haec nomina adiectivorum exempla pauca tantum proferri possunt: III 933 *vita ante acta priorque* et v. 771 libri praecedentis *continuo id fieri ut candens videatur et album* ubi conferas Munronis notam. Sit enim inter vocem *candidus* sive *candens* — nam haec eadem sunt et Ovidius in Met. XI 314 in eodem versu ea mutat *candida de nigris et de candentibus atra Qui facere adsuerat* — sit igitur discrimen inter hanc vocem et adiectivum *albus*, quod Servius ad Verg. Georg. III v. 82 recte significat (vide Doederl. l. l. III p. 194, 2), hoc tamen loco scilicet de tali discrimine nullo pacto cogitandum est et cavendum ne in vertendo, nisi verbum verbo reddere volumus,

talia apertae tautologiae exempla a nostra lingua aliena imitemur. In versu IV 338 autem *insequitur candens confestim lucidus aër* — quem hic statim affero — lucidum aërem caligini, candentem atro oppositum esse liquet, atrum igitur caliginis aërem et candentem aërem lucis inter se conferri apparet. Denique profero v. V 1290 *omnia cedebant armatis nuda et inerma* quae sine pondere abunde dicta ita tamen posita videntur, ut *inerma* illa *armatis* consulto opposita sint, et v. VI 1238 *poenibat paulo post turpi morte malaque.*

His perfectis restat ut eorum agmen producam, in quibus nulla aut sententiae aut metri aperta ratione habita voces particula copulatas videmus. Sunt enim talia reconditioris rationis exempla non solum verborum sed etiam nominum et adiectivorum eaque non incuria quadam vituperanda a poeta illata sed quia nulla erat causa, cur talia reformidaret, admissa. Atque e nominibus quidem primum affero illud *denique res omnis eadem vis causaque volgo conficeret* in v. I 238, ubi utroque nomine, altero quidem certiore altero magis infinito, eandem rem significari apparet item atque in v. V 772 (solis lunaeque cursus) *quae vis et causa cieret* et potuerunt haec etiam in v. VI 31 a poeta posita esse, quo Lachmannus illa intulit, quamquam facere non possum, quin hic Munronem sequar qui lectionem codd. *naturali — Seu causa seu vi* retinendam censet, quia vis naturae proprio vocabulo casus nominatur, oppositus ille deorum cuidam rationi ac consilio; ac ne alio quidem loco Munronem rectius sentire nego, in versu 1072 libri II, ubi in illis quae codices praebent *nunc et seminibus si tanta est copia quantam — vis eadem natura manet,* vinculum orationis duplex quod desideratur Marullus iam effecerat, cum legeret *visque eadem et natura manet,* quod a Lachmanno reiectum Munro recte mihi videtur restituisse. Nam quod Lachmannus scribi vult *nunc ex seminibus — quis eadem natura manet,* eo structura enuntiati certe impeditur et quas castum poetam decere negat particulas *et — que* deinceps positas, hae exemplis Ciceronianis probantur (vide Munronis notam), in *vi* autem et *natura,* in quibus fere eadem sententia est, copulatis neminem spero offensurum esse. Contra Goebelio, qui in eadem libri alterius parte, v. 1068, pro verbis *nec res nec causa moratur* locis ante allatis deductus legendum esse putavit *nec vis nec causa moratur* (in Quaest. Lucret. p. 18) nollem Pollius assensus esset; nam *vis* et *causa* apte aliquid facere et movere, non obvia esse et tardare dicuntur. — Deinde afferendum est in v. II 534 *at regione locoque alio terrisque remotis,* in qua

verborum copia nullo sententiae detrimento verba *terris remotis* sola sufficerent; ceterum *regione locoque* hic et IV 784 *eadem in regione locoque* pro *regione loci* dicta videntur, quod poeta perspicuitati nimis serviens posuit in vs. II 260, 293, V 804 item atque eum pro *regione viai* (II 249) vel *viarum* (I 958) *regionem viamque* coniuncta dixisse videmus in v. IV 1264. —

Iam ex libro tertio commemoro v. 78 *intereunt partim statuarum et nominis ergo,* in quam nominum compositionem quamquam poeta facile ipse incidere poterat, fortasse tamen meminerat Ennii verba, quae Macrobius ex Annalibus rettulit (vide Annalium vs. 403/4) *reges per regnum statuasque sepulchraque quaerunt, Aedificant nomen: summa nituntur opum vi;* deinde III 141 *hic exultat enim pavor ac metus* (cf. in fine versus 901 *dissoluant animi magno se angore metuque*), III 646 *corpore reliqüo pugnam caedesque petessit,* III 585/86 *perque viarum omnis flexus, in corpore qui sunt, atque foramina.* — Inest ubertas quaedam orationis etiam in his: IV 758/59 *quem Rellicta vita iam mors et terra potitast* (cf. I 135, V 63) duobus nominibus positis ubi unum suffecisset; sed cum in utroque si non rei at rationis aliqua sit differentia, minus abunde ea dicta sunt quam quae postea in v. 764 poeta mire coniunxit *mortis letique potitum.* — Haec sequuntur ex libro quinto versus 553 *partibus aëriis mundi caeloque revincta,* 765 *quod radios interrumpat lumenque profusum,* 798, 1076 *genus alituum variaeque volucres,* 872 *haec aliis praedae lucroque iacebant,* 971 *nec — diem — solemque Quaerebant* quocum conferas verba Ovidi in Met. VII 411 de Cerbero dicta, qui abstractus e tenebris *contra diem radiosque micantes* obliquabat oculos; deinde V 1055 homines *voce et lingua* praeditos mutis bestiis poeta opposuit; praeterea oratio abundat in v. 1441 *auxilia ac socios iam pacto foedere habebant* et in v. 1150 *circumretit enim vis atque iniuria quemque,* cum vis quoque iniuria sit (vide Cic. de off. I. 13, 41 *cum autem duobus modis, id est aut vi aut fraude, fiat iniuria*), nisi tamen forte hoc loco Lucretius vim iniuriae ut fraudi silentio opponere voluit. Paucis versibus post in v. 1158 etiam *mala* et *peccata* abunde copulata videmus — si Lachmannus voce *mala* recte versum explevit in codicibus duabus syllabis privatum, quae *mala* tamen non miserias sceleratorum hominum et animi tormenta intellego, ut Pollius facit, qui ea refert ad vs. 1149—53, sed de male factis dicta arbitror ut apud Vergil. in Aen. VI 527, 739 et apud Ovidium in Met. I 140 *irritamenta malorum.* —

Item pleonasmus extat in his quoque exemplis: V 1139 *res*

itaque ad summam faecem turbasque redibat et V 1186 *in caeloque deum sedes et templa locarunt;* nam *templa* sunt sacra loca a deis culta; deinde in versu libri sexti 217/18 *sine taetro Terrore et sonitu* (h. e. *sine terribili sonitu*) *nulloque tumultu* et tribus versibus post *declarant ictus et inusta vaporis Signa notaeque* hoc est *signa notaeque vaporis fulminis ictu inusta.* Hanc enim veram lectionem esse certum mihi videtur, tantum quod, cum signa notaeque arte inter se coniuncta videantur, cf. Cic. de or. II. 41, 174 *si signa et notas ostenderem locorum,* mallem poeta ut antea *inusta* sic deinde scripsisset *gravis halantia sulpuris auras.* — Praeterea ex eodem libro sexto affero vs. 578 *ventus — atque animae — vis maxima quaedam,* ut paulo post in vs. 591/92 dixit *impetus ipse animai Et fera vis venti,* 817 *in apertum promptaque caeli,* 1102/3 *procul a patria quicumque domoque Adveniunt,* 1109 *quattuor a ventis et caeli partibus esse* (cf. Munronis notam), 1096 *atque ea vis omnis morborum pestilitasque,* cui simile est in v. 1123 illud *haec — clades nova pestilitasque;* Wakefieldus ad hunc locum affert verba Thucydidis in libro II, cap. 47 *οὐ μέντοι τοσοῦτός γε λοιμὸς οὐδὲ φθορὰ οὕτως ἀνθρώπων οὐδαμοῦ ἐμνημονεύετο γενέσθαι* et e Ciceronis libro de divinatione (I. 12, 20) verba *vitare ingentem cladem pestemque monebant* atque huc pertinent etiam verba versus 1136 libri VI *haec ratio quondam morborum et mortifer aestus* de quibus alio loco copiosius dicendum erit. — Magis his locis admirationem fortasse movebit versus VI 1274 *nec iam religio divom nec numina magni pendebantur enim,* si comparabis Thucydidis verba in capite 52 libri II horum exemplar apertum *ὑπερβιαζομένου γὰρ τοῦ κακοῦ οἱ ἄνθρωποι, οὐκ ἔχοντες ὅτι γένωνται, ἐς ὀλιγωρίαν ἐτράποντο καὶ ἱερῶν καὶ ὁσίων ὁμοίως: ἱερὰ καὶ ὅσια* enim idem fere valent atque *θεῶν φόβος ἢ ἀνθρώπων νόμος* quod est in cap. 53 (cf. Schneideri notam ad Isocrat. Areopag. p. 153 b), sed in verbis Lucretianis est aperta tautologia et duplex deorum neglegentiae significatio. — Postremo afferendus est ex libro VI quidem versus 1250, item, ut videtur, miri pleonasmi exemplum. Nam quod poeta hoc loco dicit *praeterea iam pastor et armentarius omnis,* haec satis abunde dicta videntur, cum pastoris munere etiam bubulci officium contineatur. Sed dubium esse non potest, quin *pastor armentario* oppositus *opilio* intellegendus sit ut apud Juvenalem XI 151 *pastoris duri hic est filius, ille bubulci* eodemque modo Graeci *ποιμένα* et *βουκόλον* inter se distinguunt, cf. Eurip. Bach. v. 714 *ξυνήλθομεν δὲ βουκόλοι καὶ ποιμένες.* Similiter Ovidius in Met. libro I v. 513 cum de *armentis gregibus-*

que loquatur, in hac coniunctione de ovium gregibus cogitavit. — Post haec exempla duos locos hic mihi tractare liceat, quos antea omiseram, ne orationis cursus longiore explicatione interrumperetur. Agitur enim priore loco de vs. 829—31 libri II a codicibus sic traditis:

Ut fit ubi in parvas partis discerpitur aurum:
Purpura Poeniceusque color clarissimus multo
Filatim cum distractum est, disperditur omnis.

In hoc verborum contextu illud *aurum* in primi versus fine corruptum esse apparet; sed parvum in emendando auxilium sequentia verba *filatim cum distractum est* nobis praebent, quae cum alio referri nequeant, id ostendere videntur, neutrius generis vocabulum antea positum fuisse purpuram, ut e conexu apparet, significans. Neque quicquam melius mihi videtur quam quod Wakefieldus proposuit *ostrum*, si a posterioris temporis librario *austrum* illud male scriptum[1]) iam in archetypo in *aurum* mutatum fuisse putamus, unde in nostros codices permanavit. Sed remanet hic quaedam in verbis componendis difficultas; nam neque sic ea bene expediuntur: *ut fit ubi in parvas partis discerpitur ostrum purpura, poeniceusque color* etqs., neque versus 829 a sequentibus fortiore interpunctione apte separatur. Hac quidem in re ea quae Lachmannus et Bernaysius coniecerunt difficultatem tollunt, quorum virorum alter scripsit *aurea* alter *usu* commate post purpuram posito. Sed cum simul, ut alia omittam, vocem *distractum* mutare cogantur, viri clari a probabilitate magis recedunt. Mihi quidem accepta Wakefieldi coniectura tres illi versus commate post vocem *ostrum* posito uno tenore videntur legendi esse, anacoluthiae quodam genere, cum post verba *ut fit* sequentia non per se ipsa stare posse putemus sed dependentis enuntiati forma ea scripta exspectemus (*ut fit ubi — ostrum, ut purpura poeniceusque color — dispergatur omnis*), id tamen loquendi ratione non prorsus, nisi fallor, insolita. Namque eadem est res in versibus 145—47 libri sexti:

Fit quoque, ubi e nubi in nubem vis incidit ardens
Fulminis, haec multo si forte umore recepit
Ignem, continuo magno clamore trucidat,

ubi post interposita illa *ubi — fulminis* sequentia legitimum compositionis iter non ingrediuntur (nos aequum in modum vertere possu-

---

[1]) cf. Corssen „Ueber Aussprache, Vokalismus und Betonung der Lateinischen Sprache" edit. II 1868/70 vol. I pag. 660 adnot.

mus: es kommt auch vor, sobald — der glühend heisse Blitz aus einer Wolke in eine andere hineinfährt, so löscht diese — ihn unter gewaltigem Getöse aus). Tamen etiam hoc loco editores aut inserta coniunctione *ut* aut mutato verbo *fit* iustam orationis formam restituere conati sunt.

Huic loco postremum addo v. V 1078 *in salso victum vitamque petentes,* h. e. *victum vitae petentes,* quamquam certe etiam sic illud *vitae* praeter necessitatem additum soli alliterationi servire apparet hic item atque in v. 801 *sponte sua victum vitamque petentes.* Diversa autem res mihi videtur in eiusdem libri versu 1103 *victum vitamque priorem Commutare* ubi, nisi res me fallit, vita ea intellegenda est, quae moribus cognoscitur, victus is, qui habitu cultuque hominis continetur. Ea certė est *vitae* sententia etiam in Corneli Nepotis Timotheo, cap. 4, 2 *Timothei autem moderatae sapientisque vitae cum pleraque possimus proferre testimonia* atque eadem res est in exemplis illis Ciceronianis (de Legg. III 32 Brut. 25, 95) quae Munro aptius ad hunc versum quam ad versum 804 attulisset quibusque, si placet, adiungas quod idem Cicero dicit in primo de officiis libro, cap. 17, par. 58 *vita autem victusque communis — in amicitiis vigent maxime.* Sed cum antea *victum vitamque* pro *victu vitae* posita esse commemoraverim, data occasione paulo plura de figura illa, quae dicitur *hendiadyoin,* proferre mihi liceat, cuius naturam sat notam cum apte iam Naegelsbachius vir doctus in l. l. § 73, 2 post alios exposuerit, gravissima tamen exempla Lucretiana hic enumerari fortasse non inutile erit, praesertim cum verear ne viri docti non semper in vertendo ad illam linguae Latinae propriam dicendi formam animum satis adverterint. Nos enim necesse est, nisi male Latinorum morem imitari velimus, aut adiectivo apto utamur velut in his: I 148 *naturae species ratioque* h. e. eine vernünftige Naturbetrachtung, I 739 *tripodi a Phoebi lauroque:* a tripode Phoebi laureato, V 2 *pro rerum maiestate hisque repertis:* pro reperta harum rerum maiestate (cf. v. V 7), III 766 *vitam sensumque priorem:* priorem sensum vitalem (sic II 890 et saepius), V 1140 *imperium ac summatum:* summum imperium, V 1283 *flamma atque ignes* quod nos fortasse vertemus 'das lodernde Feuer', V 1426 *veste — auro signisque ingentibus apta* et in Verg. Aen. I 648 *pallam signis auroque rigentem:* signis auro pictis (cf. antea in v. 1421 *aurum et purpura*); aut genetivo utimur ut in vs. I 234 *in eo spatio atque ante acta aetate:* in eo spatio anteactae aetatis, 348 *in saxis ac speluncis:* in saxis speluncarum (cf. v. VI 942), II 273 *viribus*

alterius magnis magnoque coactu: magno coactu virium alterius magnarum, II 1131 *viris et robur adultum:* robur adultum virium cf. Liv. XXVII 46 *quorum corporis species roburque virium aptum militiae videbatur,* quamquam aliis locis robur eadem sententia atque vires cum hac voce coniunctum aut mutatum videmus, cf. Verg. Georg. III 235 *ubi collectum robur viresque refectae* et Taciti Histor. libr. I cap. 87 *vires et robur exercitus;* deinde III 276 *in nostris membris et corpore toto:* in omnibus membris corporis nostri cf. 375 *corpus — et viscera:* viscera corporis, 680/81 *cum corpore et una Cum membris:* una cum corporis membris, 735 *corpora et artus:* artus corporum ut II 271 *per totum corpus et artus:* per omnes corporis artus, III 643 *mens atque hominis vis:* mens hominis; III 886 *malis morsuque:* malarum morsu, 908 *ad somnum — atque quietem:* ad quietem somni cf. Curt. VI. 10, 13 *alti quies somni;* de morte somnus accipiendus est etiam in Aen. X 745, XII 309; — III 964 *nec quisquam in barathrum nec Tartara deditur atra:* in atrum Tartarorum barathrum, IV 230 *in luce et claro candore:* in claro candore lucis (im hellen Licht des Tages), 504 *vita salusque*: vitae salus, 849 *ex usu vitaque*: ex usu vitae, V 35 *propter Atlanteum litus pelageque severa:* propter litus Atlantei maris severi, 335 *natura haec rerum ratioque:* haec ratio naturae rerum (dieses Natursystem), 383 *sol et vapor:* vapor solis, 722 *ad speciem — oculosque patentis:* ad speciem oculorum patentium, 724 *glomeraminis atque pilai* ubi Munro recte animadvertit glomeramen atque pilam esse idem atque *globum pilai* in v. 718 h. e. *globosum corpus pilai,* 883/84 *validae vires — Membraque:* validae vires membrorum ut VI 1202 *totae vires corpusque* cf. etiam IV 534 *ex hominum nervis ac viribus* (von den Nervenkräften der Menschen), V 1083 *aquam — et imbris:* aquam imbris, cui respondent postea *venti auraeque*: aurae ventorum, VI 128 *vis eius et impetus acer:* vis acris impetus eius, item in v. 281 ex coniectura Lachmanni, peiore tamen illa quam Bentlei invento a Bernaysio et Munrone accepto, VI 301 *in spatio longoque meatu* (Munro vertit in the course of its long travel), 395 *turbine caelesti — et igni:* turbine ignis caelestis, 802 *carbonumque gravis vis atque odor* (die betäubende Wirkung des Kohlendunstes) cf. v. 830 *vis haec atque aestus Averni:* haec vis aestus Averni. Sic capio etiam illud *locus ac spatium* I 426, 472, 955, 1074, quod pro spatio loci dictum esse existimo, cf. I 1002, V 370 *natura loci spatiumque profundi* quod idem fere videtur esse atque loci spatium profundum. — Aliis locis nos etiam praepositione uti opus est, ubi scriptor Latinus illud hendia-

dyoin commodissime adhibet ut VI 1199 *tabes letumque* quod Wakefieldus apte *letum ex tabe* interpretatur. —

Sunt etiam nonnulli loci ubi idem hendiadyoin in verbis et adiectivis videtur extare ut in v. IV 763 *iacet languetque sopore* h. e. *sopore languida iacet,* III 649 *scandit et instat* h. e. *scandere instat,* VI 996/97 *bene confirmata atque locata — constiterint* h. e. *bene confirmata locata const.* vel simplicius *bene stabilita erunt;* item in v. IV 55 verba *contexta — condensaque* nos vertemus: dicht geweht et *altae Extructaeque nives* in vs. VI 963/64 dictae sunt pro nivibus alte extructis. Denique hic affero asyndeton illud *longa infinita diei aetas* I 557/58 dictum pro *infinite longa d. a.* (die unendlich lange Zeit. cf. pag. 54) et apte conferes quae de hoc usu dixerunt Lobeckius ad Aiacis v. 646 et Vahlenus in Aristotelis de arte poetica libro, pag. 120/21.

Qua re explanata ut tandem hanc partem conficiam nihil restat nisi ut eorum adiectivorum et adverbiorum synonymorum quae supersunt pauca exempla breviter enumerem. E libro primo restant vs. 22/23 *nec sine te* (Venere) *quicquam — Exoritur neque fit laetum neque amabile quicquam; laetum* enim hic videtur non illud esse quod gaudet (Munro vertit glad) sed quod gaudium parat neque igitur multum differre ab amabilitatis vel leporis notione quo ut carmen suum perfundat poeta a Venere valde petit; deinde ex libro altero afferenda sunt verba *aut foeda specie diri turpesque videntur* in v. 421 et *mixti — odores Concoctique* in vs. 852/53, ex libro tertio v. 40 (nullam) *voluptatem liquidam puramque relinquit,* quibus adiectivis coniunctis etiam Cicero utitur in oratione pro Caecina 27, 78 *ut — purum te liquidumque haurire sentias;* uberius deinde etiam illud dictum videtur in v. III 447 *nam velut infirmo pueri teneroque vagantur Corpore;* nam in tenero corpore item inest notio infirmitatis, et Ovidius in Met. libro VII v. 319 eadem sententia de *tenero balatu* loquitur. In eiusdem libri III versu 860 *misere si forte aegreque futurumst* duobus adverbiis quoque eandem fere sententiam exprimi manifestum esse videatur. — Iam in libro IV extant abunde posita verba *is quoque enim duplici geminoque fit aëre visus* (in v. 273), de qua mera tautologia conferas Munronis notam et utiliter comparabitur etiam Vergili versus in Aeneidos libro quarto 470 (videt Pentheus) *solem geminum et duplicis se ostendere Thebas;* etiam in vs. 518/19 eiusdem libri IV *sic igitur ratio tibi rerum prava necessest Falsaque sit* adiectivis *pravus* et *falsus* eadem sententia enuntiatur. — Item in libri quinti vs. 5 *pectore parta suo quaesitaque praemia*

liquit, 448 *puri secretique aetheris ignis*, 1023 *sed bona magnaque pars servabat foedera caste* occurrunt aperta pleonasmi exempla. Phrasis postremo loco allata, quae prosam elocutionem sapit, invenitur etiam in Terenti Eunucho (I. 2, 43) quem Wakefieldus nominat una cum Valerio Maximo (II. 9, 7). — Denique e libro VI haec habeo quae afferam: adiectiva *fluxus pertususque* in v. 20, de corpore quasi de vase dicta, de qua translatione cf. Terenti versum in Eunucho *plenus rimarum sum, huc atque illuc perfluo*, (I. 2, 25) quamquam utroque loco diversum est translationis consilium; deinde hic commemoranda sunt verba versuum 133/34 *ramosa* — *Nubila* — *modis multis atque aspera;* nam ne aspera quidem nubila alia sunt quam quae *ramosa* significantur. — Omnium horum exemplorum totiusque huius capitis finem faciat versus 444 libri III ita ut in editionibus circumfertur nullius abundantiae sibi conscius sed, ut opinor, a viris doctis nondum apte conformatus. Versum enim a codicibus sic traditum:

Corpore qui nostro rarus magis incohibescit,

quod nihil est, Lachmannus sic mutaverat:

Corpore qui nostro rarus magis is cohibessit?

quod quamquam a Munrone probatur, tamen mihi rei non plane videtur convenire. Nam praeterquam quod obiectum in v. 444 aegre desideratur, etiam duplex illa quam Lachmannus invexit interrogatio molesta mihi videtur neque apte sententiae ponderi serviens. Rectius is mihi videtur agere qui versum 444 ut enuntiatum relativum causam verborum praecedentium afferre existimat, tantum quod Bernaysio vix assentietur, viro ceteris rebus doctissimo atque ingenioso, qui tamen haec coniciens

Corpore qui nostro rarus magis usque liquescit

num aptam sententiam finxerit ego me dubitare confiteor. Ceterum quid verum sit diiudicare difficile erit, cum probabile sit versum ita depravatum esse, ut scribae oculi ad verbum *cohiberier* praecedentis versus aberrarent; si autem propterea concedetur nisi acri medicina versum sanari non posse, hanc coniecturam proponere audeam:

Corpore qui nostro rarus magis ac tenuis sit?

non certam in re tam incerta sed qua sententia qualis esse debeat significetur.

CAPUT ALTERUM.

Hoc capite perfecto alterum primo abundantiae genus adiungo priori illi simile neque alia re — si ipsa verborum compositio, non rei vis ac natura spectatur — ab eo diversum, nisi quod verba non particula copulantur sed ea omissa aut coniunguntur aut uno pluribusve verbis interpositis separantur. Hic usus qualis sit cognoscitur versu 395 libri III, ubi poeta dicit multa semina in nostro corpore cienda esse, priusquam animae primordia res sentiant et in his intervallis possint *concursare coire et dissultare vicissim.* Apparet hoc loco verba *concursare* et *coire* fere idem valere, et quod poeta haec duo coniuncta uni infinitivo *dissultare* opposuit, concursandi verbum per se ad sententiam exprimendam prorsus satis fuisset. Sed quamquam asyndeto illo nihil gravitatis additur sententiae, quae tali pondere omnino non egeat, tamen intellegitur duplici verbo non solum faciem rei luculentius depingi et illustrari sed etiam maiorem quam in verbis coniunctis inesse in asyndeto orationis alacritatem atque leporem, qui alliteratione insuper augetur. Atque multum esse hunc asyndeti usum in primis apud priscae latinitatis poetas artis rhetoricae studiosos aptis exemplis Lachmannus docuit in commentarii pag. 80 et alia ex pedestris sermonis scriptoribus contulerunt Vahlenus vir clarissimus in indice lectionum a. 1878 p. 6 et Munro ad v. II 118, quibus locis satis demonstratur, quam iniuste illi agant etiam praeclari iudicii viri, qui talia manifesti studii exempla coniecturis infestent et qui apud Lucretium quoque in v. I 680 *nil referret enim quaedam decedere abire* asyndeton temptarunt *decedere ab igne* aut *decedere adire* alia similia prorsus futili ratione conicientes. Integerrimus enim est locus et illi compar quem primo loco attuli. (cf. etiam vs. II 72/73 *quae decedunt corpora cuique, Unde abeunt, minuunt* ubi verba illa synonyma denuo reperiuntur). Praeter hos duos locos verborum ἀσυνδέτως iunctorum certa exempla, quantum scio, apud Lucretium non inveniuntur, eiusdem autem rationis sine dubio est quod poeta dicit in vs. II 118/19 et IV 1002 *proelia pugnas Edere* et par nominum exemplum extat in v. II 282 (materies) *cogitur interdum flecti per membra per artus,* quod asyndeton bimembre repetitur etiam VI 945 *crescit barba pilique per omnia membra per artus.* Artubus proprie significantur membrorum commissurae, cf. Doederleinium in l. l. vol. IV p. 150 qui apte affert Cic. de nat. deor. II. 60, 150 *digitorum enim contractio facilis facilisque porrectio propter molles commissuras et artus* (h. e. *artuum commissuras*)

nullo in motu laborat et eandem sententiam reperies apud ipsum Lucretium in v. IV 117. Sed satis notum est, artus per synecdochen etiam ipsa membra dici atque ita quidem ut artubus extremae corporis partes denotari soleant. Illud autem discrimen quamvis verum sit, tamen a poetis minus accurate observatur et qui Lucretium inspiciet videbit nomina illa ab eo prorsus inter se mutari. Nihil aliud igitur poeta, ubi ea coniunxit IV 885 et IV 1035 et ibi ubi maiore vi rhetorica *ἀσυνδέτως* in fine versus posuit, significavit nisi omnes corporis partes universas itemque interpretabimur quod in v. 964 libri II simili ratione dicit *materiai Corpora — per viscera viva per artus* (id est tribus verbis *per totum corpus*) *sollicitata — trepidant.* Ceterum vocem *membrum* — ut hoc in transcursu tangam — de corpore ad alias quoque res translatam invenimus; velut Cicero dicit in libro de natura deor. I cap. 4, 9 *omnes — eius* (philosophiae) *partes atque omnia membra — noscuntur,* quae nomina etiam Lucretius abunde copulavit in vs. V 240, 244, VI 1116. In numero asyndeti exemplorum apte afferentur deinde verba versuum V 1077/78 *marinis Fluctibus in salso,* pro quibus si poeta simplicius *in salsis fluctibus maris* dixisset, Wakefieldus deductus non esset, ut locum sic falso interpretaretur: *ossifragae mergique quae sunt marinis fluctibus, id est aves marinae adeoque victitantes aquis marinis,* quamquam ille eos recte reiecit qui coniecturis locum temptarunt. — Maius autem quam his locis in asyndeto sententiae pondus agnosces in vs. I 341 *multa modis multis varia ratione moveri Cernimus* et II 708 *seminibus certis certa genetrice creata,* in quorum altero magna varietas eorum quae in mundo fieri videmus acriter illustratur in altero quicque e semine certo creari variis verbis graviter monetur. Nec sine gravitate haec a poeta posita sunt: *longe — In magnis intervallis* in vs. II 106/7 cf. V. 578/79 *nam prius omnia, quae longe semota tuemur Aëra per multum, specie confusa videntur quam minui filum,* nisi hic cum Bockemuellero comma post verbum *tuemur* ponas, deleas post adiectivum *multum*, ubi conferre poteris vs. IV 555/—57; deinde III 549/50 *seorsum Secreta ab nobis* (cf. I 462/63 *per se — Semotum ab rerum motu*), III 145 *idque sibi per se solum sapit* cf. v. 682 *sed velut in cavea per se sibi vivere solam,* IV 161/62 *sic ab rebus item simili ratione necessest Temporis in puncto rerum simulacra ferantur,* V 78/79 *ne forte haec inter caelum terramque reamur Libera sponte sua* (h. e. *suo arbitrio*) *cursus lustrare perennis,* VI 319/20 *nec temere* (nec facile) *omnino plane vis frigida venti Esse potest,* quae adverbia particula coniunxit Cicero in Bruto, cap. 59,

215 *nec vero Sulpicio neque Cottae dicere possumus — rem ullam ex illis quinque partibus plane atque omnino defuisse*, et conferre utile erit Terenti Adelph. V. 9, 33 *Quia non iusta iniusta prorsus omnia omnino obsequor.* Quin etiam tria adverbia Lucretius composuit in v. V 1000 *hic temere in cassum frustra mare saepe coortum Saevibat* quae iterum inveniuntur in v. II 1060 *multimodis temere in cassum frustraque coacta* (cf. etiam V 1428 *hominum genus in cassum frustraque laborat*). Mira verborum cumulatio occurrit etiam in v. V 836 *interutrasque* (sic recte scribit Munro, quem videas ad v. II 518) *nec utrum utrimque remotum*, atque in vs. V 92—94

Principio maria ac terras caelumque tuere;
Quorum naturam triplicem, tria corpora, Memmi,
Tris species tam dissimiles, tria talia texta
Una dies dabit exitio

quater eandem fere rem verbis variavit poeta summa illorum mundi membrorum dissimilitudine cum vi etiam atque etiam enuntiata (cf. Munronis notam). Apparet tamen hoc postremo loco quattuor illas enuntiati partes non eandem omnes habere vim sed duo esse nominum paria ita comparata, ut oratione a priore ad alterum progrediente pondus quoque sententiae augeatur et crescat. Atque eandem ponderis sententiae accessionem etiam in singulis verbis ἀσυνδέτως positis nonnumquam fieri videmus, ubi tamen non omnes interpretes omnibus locis mihi poetae consilium plane videntur perspexisse. In v. I 726 Lucretius de Sicilia insula haec praedicat:

Quae cum magna modis multis miranda videtur,

quae verba poeta alliteratione aperta posuit. Sed ordo eorum et coniungendi ratio inter viros doctos nequaquam constat. Wakefieldus enim verba *magna miranda* interpretatur quasi *magnum miranda* et confert Vergili illud *rauca fremens* similiaque passim observanda, cum Munro verba sic componat: *quae magna* (*this great country*) *videtur multis modis miranda*, alii denique illa *magna modis multis* pronomini relativo quasi apposita putent. Sed restat quartus et nescio an melior verborum ordo ab hominibus doctis neglectus, quo poeta adiectiva *magna, miranda* quae abunde copulavit in v. II 1028 *nil adeo magnum neque tam mirabile quicquam* hic ἀσυνδέτως et apta orationis gradatione videtur composuisse. Certe hoc et alia ut *parvula, pumilio* IV 1154 non sunt veri pleonasmi exempla, sed quamquam sententia verborum similis est, tamen cum debiliorem vocem fortior sequatur, vis eximia orationis efficitur, quam petivit poeta neque fortiore illo verbo solo aeque bene poterat

assequi. Neque ego illa ut abundantiae testimonia affero sed ut quae sit varia asyndeti ratio plenius perspiciatur et ut haec ab aliis adiectivorum exemplis distinguantur velut a vs. II 542 *unica res quaedam nativo corpore sola* (cf. Cic. or. Sest. 62, 130 *unus est solus inventus*, Verr. II, II, 5, 13 *unam solam scitote esse civitatem Mamertinam*, 75, 185 *furta praetoris — ex uno oppido solo exportata sunt* et Graecorum *εἷς μόνος*), IV 589/90 *ne loca deserta ab divis quoque forte putentur Sola tenere*, VI 310 *frigida cum venti pepulit vis missa sine igni*, 322 *at tepefacta tamen veniat commixta vapore*, 582/83 *incita — vis* (venti) *Exagitata*, 1227/28 *illud in his rebus miserandum magnopere unum Aerumnabile erat*, in quibus non sine sententiae vi atque pondere sed sine orationis gradatione eadem res duobus deinceps adiectivis synonymis bis effertur. — Restant duo loci, alter in vs. 620—22 libri IV

Hoc ubi levia sunt manantis corpora suci,
Suaviter attingunt et suaviter omnia tractant
Umida linguai circum sudantia templa:

in quorum versuum ultimo cum templa linguae *umida* dicantur, eadem Lachmanno nimis moleste in uno orationis membro etiam *sudantia* appellari videbantur, quamobrem verba versus aptius ad suci corpuscula referri ratus vir doctissimus coniecit *umida linguai circum sidentia templa.* Defensor autem traditae lectionis extitit Munro, qui *umida — sudantia templa* Lucretio digna esse recte iudicans illud exemplis probavit non omnibus omni ex parte aptis. Nescio enim an haec ita intellegi possint, ut non sint *umida, sudantia templa* sed *umida sudantia* eadem ubertate quasi dixerit poeta: *omnes circum linguae partes quae umidae sudant,* eademque sententia quae verbis: *templa linguae sudantia umore* (suci scilicet, nam quis cum Wakefieldo de saliva cogitabit, quam gustui iucunda ac sapida moveant?) apte et simpliciter enuntiabitur. — Alter locus extat in v. 523 libri I *omne quod est, spatium vacuum constaret inane* incerta ratione interpungendi. Wakefieldus enim cum aliis comma ponit post *spatium,* Lachmannus, Bernaysius, Munro versum sic interpungunt ut eum modo attuli. Hanc si sequimur rationem, *vacuum* et *inane* adiectiva ea quam exposui ratione *ἀσυνδέτως* collocata sunt. Verum hoc est, *inane,* id est spatium vacuum infinitum aut spatium quoddam vacuum finitum (cf. I 386/87 *inter* (duo) *corpora quod fiat possidat inane,* I 223 *intus penetret per inania dissoluatque*) plerumque substantivi locum apud Lucretium obtinere, sed adiectivum a poeta non prorsus reiectum esse, aperte probatur versu VI 832 *prope uti locus hic linquatur*

inanis ubi item *inane* recte dici poterat, et *spatium inane* e coniectura Marulli verisimili invenitur etiam in v. I 527 quem Pollius cum delendum censeret (in Phil. vol. 25 p. 270) sententiam apertam nimis acriter perscrutatus est et conexum coniectura corrupit non correxit. Quid enim, quaeso, nunc quidem haec verba sibi volunt *sunt ergo corpora certa*, quae inania relinquuntur nullo pronomine relativo sequente? Praeterea interpunctionem Lachmanni etiam sententia ipsa posci Susemihlius ostendit neque Pollius habebat, cur pleonasmo non evitato sic versum verteret: das All würde inhaltlos (inane) als ein leerer Raum dastehen.

Sed haec omnia quae attuli adiectivorum exempla a prioribus ita differre videmus, ut in priore parte synonyma coniuncta sint, hic uno vel pluribus verbis interiectis separentur. Inter has duas rationes, quamquam loquendi genere cohaerent, hoc tamen interesse videtur, quod verba cum coniunguntur, in unum quasi coalescunt, et propterea poeta in v. III 395 duos infinitivos *concursare coire* uni dissultandi voci apte poterat opponere et simili causa in v. I 680 duobus verbis *decedere abire* usus est, cum in sequenti versu simpliciter dicat *atque alia adtribui, mutarique ordine quaedam.* Contra cum synonyma post intervallum seiuncta audiuntur vel leguntur, necessario fit, ut utriusque eorum significatio emineat, neque verba in unum quasi confusa sed utrumque cum propria vi positum videtur. Haec est ratio, qua et de adiectivorum locis illis et de his nominum exemplis quae huc spectant iudicandum erit: III 185 *ante oculos quorum in promptu natura videtur*, VI 721 *ille* (Nilus) *ex aestifera parti venit amnis ab austro*, III 368/69 *iam magis exemptis oculis debere videtur Cernere res animus sublatis postibus ipsis* (antea enim oculos cum foribus comparaverat), denique hic affero versum VI 1094 *ea cum casu sunt forte coorta;* nam *casu* aut *forte* solum suffecisset. De his ablativis copiosius egit Doederleinius in l. l. vol. V p. 294 seqq. Exponit ille *casui* et *forti* opposita esse *rationem* et *consilium* et affert Liv. libr. IX cap. 31, 7 *transfugae quidam pars forte, pars consilio oblati,* Ciceron. in divinatione in Caecil. 15, 50 *non consulto sed casu in eorum mentionem incidi* et ubi coniuncta illa inveniuntur: Plin. Paneg. 1 *si adhuc dubium fuisset, forte casuque rectores terris an aliquo numine darentur*, Cic. Divin. libr. II cap. 7, 18 *Quid est tandem, quod casu fieri aut forte fortuna putemus?* eodemque iure Lucretius quoque hic ea ἀσυνδέτως potest composuisse. Videtur tamen *forte,* ut gravitate plerumque caret ita hoc quoque loco ablativo *casu* sat leviter appositum id significare quod nos nostra lingua sic pos-

sumus reddere: wenn diese durch Zufall etwa entstanden sind. — His substantivorum locis alii adiungendi sunt, qui, quamquam non de duobus nominibus agitur, tamen eius quam exposui rationis certa sunt exempla: II 447/48 *in quo iam genere in primis adamantina saxa Prima acie constant,* quocum conferre licet V 59/60 *quo genere in primis animi natura reperta est Nativo primum* (*potissimum*) *consistere corpore creta* et ubi temporis est definitio V 336 *primus cum primis ipse repertus;* deinde I 741 *et graviter magni magno cecidere ibi casu,* I 1006/7 *usque adeo passim patet ingens copia rebus Finibus exemptis in cunctas undique partis,* III 38 *funditus humanam qui vitam turbat ab imo. Funditus* quod, ni fallor, novies decies apud Lucretium occurrit maxime ita ut cum adiectivo *omnis* coniunctum vim eius augeat, hoc loco suam propriam habet vim atque significationem ut in vs. V 497 (mundi limus) *subsedit funditus* (h. e. *in imo*) *ut faex,* V 1433 *magnos commovit funditus* (quasi ex imo mari) *aestus*, VI 884 *de terraque necessest funditus ipsa* (*ex imis partibus terrae*) *Ignis corpora per totum consurgere fontem.* Huic exemplo simile est illud in v. IV 266 *duritiem penitus saxi sentimus in alto,* ubi vere Munro haec adnotat: *extremum, summum, penitus, in alto, the same thing in different words to increase the force of the contrast: a very favourite artifice of his.* Coniunxit poeta illa *penitus* et *in alto* particula *que* in vs. III 580, IV 71, 197/98. Huc sine dubio pertinet etiam v. II 1034 *ex improviso visu subiecta repente,* quamquam ceteris rebus lectio huius versus valde incerta est, item nonnulli alii loci: v. I 711 *magno opere a vero longe derrasse videntur,* cum in vs. I 637, II 176, III 105 *magnopere* solum in simili sententia Lucretius posuerit; deinde in v. III 108 *et retro fit uti contra sit saepe vicissim* cum gravi ubertate orationis dictum, atque in v. I 846 *supra quos diximus ante*, quod nullo pondere positum etiam in vs. I. 429, 531, IV 670 *id quod iam supera* (*supra*) *tibi saepe* (*paulo*) *ostendimus ante* invenitur. Illius autem quam in vs. IV 226 et VI 934 Lachmannus in Lucretium intulit orationis abundantiae *perpetuo quoniam sentimus et omnia semper* poeta potius absolvendus videtur versu sequenti, quem Lachmannus deleverat, cum Munrone restituto.

Notabilis asyndeti illius species extat ibi ubi eadem sententia altero membro neganti altero affirmanti exprimitur et apparet, cum poeta dicit *sponte sua facere id sine vi subeunte putandumst,* (in v. II 193) sententiam non sine magna vi magis definiri et expressius enuntiari idemque fit in vs. I 213/14 *quod si nulla forent, nostro sine quaeque labore Sponte sua multo fieri meliora videres* quocum uti-

liter conferes Vergili versus in altero Georgic. libro 10/11 *namque aliae* (arbores) *nullis hominum cogentibus ipsae Sponte sua veniunt* et fortius etiam in vs. 500/1 dicit *quos rami fructus, quos ipsa volentia rura Sponte tulere sua, carpsit,* ubi ceterum, quod hic memorare liceat, voluntatis significatio et pronomine *ipse* et ablativo illo *sponte sua* eadem vi bis effertur, qua id apud Lucretium fieri videmus etiam in vs. III 1039 *sponte sua leto caput obvius optulit ipse,* V 1144/45 *ipsum Sponte sua cecidit sub leges artaque iura* et similis est res ibi ubi in hac verborum compositione minus voluntatis quam proprii cuiusdam consilii et facultatis vis eminet ut in vs. V 868/69 *at quis nil horum tribuit natura nec ipsa Sponte sua possent ut vivere nec* — item II 1092, VI 1018/19, cf. etiam IV 129/30 *sunt etiam quae sponte sua gignuntur et ipsa Constituuntur in hoc caelo* et III 562 *ut nequit ullam Dispicere ipse oculus rem seorsum corpore toto* neque video, cur cum Briegero lectionem codicum in vs. II 1058/59 *et ipsa Sponte sua* etqs. relinquamus. — Iam ad inchoatum exemplorum ordinem redeo, in quo allatis haec accedunt: III 333/34 *nec sibi quaeque sine alterius vi posse videtur Corporis atque animi seorsum sentire potestas,* III 552/53 *sic animus per se non quit sine corpore et ipso Esse homine* et sex versibus post *nec sine corpore enim vitalis edere motus Sola potest animi per se natura,* quocum conferas in vs. 786/87 verba *sic animi natura nequit sine corpore oriri Sola* (V 132/33) et sic aliis quoque locis affirmantis membri locus adiectivis obtinetur: V 838 *muta sine ore etiam, sine voltu caeca reperta,* V 1424 *frigus enim nudos sine pellibus excruciabat.* Similia inveniuntur etiam apud alios poetas Latinos. Idem Vergilius, ex quo duo iam exempla attuli, dicit in Aen. libro IV, v. 588 *vacuos sensit sine remige portus,* in Georg. libro IV, v. 548 et saepius *haud mora continuo* (*matris praecepta facessit*) quae verba nulla interpunctione separanda sunt, Ovidius in Met. XIII, vs. 690/91 *sine frondibus arbor Nuda riget* et plura exempla ex poetis et scriptoribus et Latinis et Graecis dat Vahlenus vir clarissimus in praefatione ad Senecae Dialogos in editione Kochiana p. IX sqq. — Latet in hac asyndeti ratione contrarii cuiusdam vis atque consilium et exprimitur, ut exemplis hoc doceam, ea quae in verbis versus II 193 inest sententia, si hoc modo expletur: *non putandum est, ignes id non vi expressos sed sua sponte facere,* aut in vs. III 786/87, si ita mutatur: *animi natura non coniuncta cum corpore sed sola oriri nequit,* et in v. V 1424 tali pacto composita: *frigus terrigenas excruciabat, cum ne pellibus quidem induti sed nudi essent,* similisque

est res ceteris locis. Cuius contrarii significatio cum in his exemplis quasi supprimatur et intellegatur, aliis locis posita et perspicua est. Velut Homerus in Iliados libro V, v. 759 dicit: *μὰψ ἀτὰρ οὐ κατὰ κόσμον*, quod efficacius asyndeto efferretur: *μὰψ οὐ κατὰ κόσμον*, efficacius certe quam ita ut membra particula copulativa coniungantur; nam sic quoque ea quae affirmando et quae negando eandem sententiam exprimant volgo consociantur. Apud ipsum Lucretium invenimus: *quae videt aeque Nec minus atque oculi* (IV 753), *sunt igitur solida ac sine inani corpora prima* (I 540, 538) *si bello animost et non odiosa* (IV 1182, conferas etiam exempla pag. 20 allata), quibus addas quae huius usus exempla contulerunt Vahlenus ad Aristotelis de arte poetica librum p. 85/86 et Lobeckius ad Aiacis versum 289.

Iam quod in horum quos modo attuli locorum numero nonnulli erant, ubi nominis natura et adiectivo affirmanti et substantivi ablativo neganti significatur velut illud Vergilianum *vacuos — sine remige portus* aut Ovidianum *sine frondibus arbor nuda riget*, extat apud Lucretium aliud idque satis crebro usurpatum asyndeti genus cum illis locis quodammodo comparandum, ubi adiectivum et ablativus qualitatis, utrumque affirmans, *ἀσυνδέτως* composita eandem nominis vim bis exprimunt. Sed quid sentiam melius exempla aperient velut illa *fluvido quae corpore liquida constant* II 452, *corporibus liquidis sunt omnia pura relicta* V 499, *flexis mucronibus unca* II 427, *hebeti mucrone retusum* V 1272, *tenuem constare minutis Corporibus* III 425 cf. II 384/85 *dicere enim possis caelestem fulminis ignem Subtilem magis e parvis constare figuris*, *ventus subtili corpore tenvis* IV 898 (cf. VI 225/26 *subtilem — ignem — minutis mobilibusque Corporibus*) cui *vento subtili corpore tenvi* in v. 899 respondet *magna magno molimine navis*, ein Schiff von gewaltigem Bau cf. *tabularia molimine vasto* apud Ovidium in Metam. libro XV, v. 809; sequuntur VI 73 *placida cum pace quietos*, VI 722, 1107 *nigra virum percocto saecla colore*, V 1072 *equus florenti aetate iuvencus*, denique II 421 *foeda specie diri turpesque videntur* e verisimili Lachmanni coniectura. Quorum exemplorum agmine tam luculenter qualis huius generis ratio sit ostenditur, ut plura de hac re exponere supersedeam. Pauca ea quae restant his statim adicio, ubi simul alliterationis species nobis occurrit; sunt praeter illam *magnam magno molimine navem:* v. II 767 (mare) *vertitur in canos candenti marmore fluctus* cf. II 803 *claro — rubra pyropo*, v. IV 830 *perversa praepostera sunt ratione*, v. V 447 *et sorsum mare uti secreto umore pateret*, quo postremo loco adverbium pro adiectivo habemus et respondent in versu sequenti verba

seorsus item puri secretique aetheris ignes item non sine orationis ubertate posita.

In fine huius partis de duabus rebus mihi disserendum est, quas nullo meliore loco tractare possum, quamquam ad hanc quam modo exposui asyndeti bimembris rationem non pertinent. Primum hic dico aliquot particularum compositionem eis locis ubi alteram earum poni ad sententiam satis erat. Huius rei exemplum praebet coniunctionum *etiam quoque* vel *quoque etiam* copulatio, quas Lucretius septies nisi fallor composuit: III 208 *haec quoque res etiam naturam dedicat eius* III 292, V 153, 517, 602, VI 503, 806 nec Lucretius solum sed alii quoque scriptores etiam prosae orationis (cf. Wakefieldum ad v. III 293, Munronem ad v. III 208, Reisigium in scholis ab Haasio editis § 458). Certe in his non mera inest tautologia sed coniunctione *etiam* fortiore res cum ceteris aequari, particula *quoque* ceteris simpliciter adnumerari videtur, ut similiter hoc fit in adverbiis *praeterea quoque* IV 889, VI 256 et *item quoque* vel *quoque item* V 245, 749, VI 214, 756, sed concedendum erit in oratione concisa utraque particula opus non fuisse; his addi potest illud *et quoque* apud Vergilium in Aen. libro I, v. 5 *multa quoque et bello passus* aliosque scriptores, quod Munro etiam in Lucretium intulit, cum in v. III 412 *et orbei* scripsit pro genetivo *eorum* sed nulla, ut videtur, veritatis specie. — Particulam illam *quoque* abunde poeta posuit etiam ibi ubi sententias vocibus *cum — tum* coniunxit: III 374/76, similiter atque Cicero in orat. pro Ligario 4, 10, Caesar in belli Gallici libro II, cap. 4, Cornel. Nepos. in Eumene 8, 2 *inveterata cum gloria tum etiam licentia*, qua coniungendi enuntiata ratione cum alteri membro maius pondus tribuatur, in v. I 130 verba *cum primis* adverbio *tum* apponi ad sententiam necesse non erat, quamquam nemo hic poetae consilium sententiae vim gravissimis verbis augendi non intelleget.

Post illa *etiam quoque, praeterea quoque, item quoque* commemoro *tamen interea* V 83 et VI 59 *si tamen interea mirantur;* nam *interea* est *nihilominus* (cf. nostrum indessen) et cum adverbio *tamen* consociatum etiam apud Catullum invenitur in carmine 101, versu 7 *nunc tamen interea*, apud Vergilium in Eclog. 1, v. 57 *nec tamen interea.*

Similem sermonis vulgarem quandam ubertatem etiam in adverbiis quae tempus et locum indicant invenimus. Eius rei ab indicibus verborum exempla multa praebentur (cf. etiam Reisigium in l. l. § 458) et eiusdem rationis sunt quae Lucretius coniunxit *post inde*

III 527 et *inde proporro* IV 887 (aliter se habere videtur v. II 271 *inde dari porro per totum corpus et artus;* nam hic *porro dari* quasi unum verbum compositum respondet nostro 'sich weiterverbreiten' (Lambinus interpretatur *permanare, distribui*), *inde* refertur ad *primum* praecedens). Sane ne in his quidem inest mera tautologia, sed priore loco III 527 illud *post* temporis rationem habet, ordinis *inde*, et haec est sententia: *postea a pedibus et cruribus letum per alios artus datur*, similiterque in altero versu IV 887 adverbio *inde* temporis ordo significatur, particula *proporro* quid in rerum ipsarum progressu sequatur ostenditur. Sed non opus erat poetam tam accurate loqui, cum haec necessario inter se cohaereant, et oritur hic orationis quaedam abundantia pariter atque in vs. VI 763 *post hinc* — (ne) *reamur*, I 155/56 *ubi viderimus nil posse creari De nilo, tum quod sequimur iam rectius inde Perspiciemus*, denique in crebro illo *tum porro* I 298, 426, 520, 599, II 594, 673, (paulo antea in v. 669 dixerat *hinc porro*) 788, 886, IV 826, V 222, VI 623 — in v. II 926 dicit *tum praeterea*, ex quibus particulis altera *porro* ad novam sententiam progreditur, quae adverbio *tum* pars ordinis cuiusdam sententiarum significatur. — In versu I 461 licet cum Munrone particulam *deinde* ad verbum *sequatur* referre, qui tamen vir doctus num in v. V 1005 *tum deinde* recte coniunxerit valde dubito. Hic enim particula *deinde* sequentia (1005/6, 1007/8) prioribus (988—99, 1000—1004) adduntur, illud *tum* autem postero *nunc* manifesto oppositum est.

Est deinde quaedam gravis orationis ubertas in illo *sive adeo potius* I 1019, quo ea quae praecedunt quasi corriguntur, et *sive etiam potius* IV 354, de quibus vide C. F. W. Muelleri dissertationem de particula *sive*[1]), pag. 23/24, atque *potius* adverbio *etiam* sic adiunctum invenitur praeterea in v. III 947 *atque etiam potius, si numquam sis moriturus.*

Aliter res se habet ibi ubi a Lucretio *quippe enim* (VI 617, 1018) et *quippe etenim* (I 104, II 547, 792, 1133, III 440, 798, IV 726, 857, 898, V 126, 240, 449, 1060, 1167, VI 271, 826, 938, 984, 1232) copulata videmus. His locis enim non tam pleonasmum quam ellipsin quandam orationis subesse recte dicit Reisigius in scholis suis, pag. 803; intellegendum videtur enuntiatum: *quippe hoc fit, quippe causa haec est*, simile quid, quae sententia sequenti particula *enim* vel *etenim* aut coniunctionibus *ubi* (I 182, 242, 617, 990, III 430,

---

[1]) Programm des Joachimsthalschen Gymnasiums, Berlin 1871.

IV 432, V 1156), *cum* (VI 1178), pronomine relativo (III 1060) certius definitur.

Neque inutiliter deinde Lucretius ut alii scriptores particulae *at* adverbium *contra* nonnumquam addidit (vide v. I 366, 570, 1087, II 74, 235, 392, 400, 404, 424, 713, III 25, 191, 198, 201, IV 93, 623, 659, 840, VI 976; semel invenitur *contra autem* in v. I 363); nam facile sentimus maiorem contrarii vim in adverbio inesse, particulam *at*, qua rerum differentia minus fortiter significatur, magis sententiarum coniunctioni servire.

Item eis locis, ubi enuntiatio a particulis *sed tamen* ita incipit, ut aut sententia praecedentibus constringatur (I 140, 833, III 261, V 104) aut oratione interrupta ad aliam rem transitus fiat (II 541, 907, III 733) et similiter in verbis *at tamen*, *verum tamen* praemissis coniunctionibns *si non*, *si minus* (II 459, III 172, VI 322, item III 534) particula *tamen* summam habet contrarii vim et opposita est enuntiationi concessivae e prioribus formandae; *sed* particula transitus ille orationis distinctius significatur aut sententiae artius iunguntur, quod luculentius fit his locis: IV 686/87 *hic odor — Est alio ut possit permitti longius alter, Sed tamen* etqs. et II 695/96 *communia multa Multarum rerum cum sint primordia, verum — tamen* etqs. — Post haec restat ut commemorem illud *licet quamvis* in vs. VI 601, 620, de quo cf. Handium in Tursellini vol. III pag. 543/44 et versum 930 libri III *et hoc alicui nostrum sic increpat ipsa* (natura), ubi etsi *hoc* ad argumentum, *sic* ad modum ac rationem pertinet, tamen altero facile carebimus.

Altera quam hic tractabo quaestio ad usum pertinet adverbiorum, in quibus loci aut temporis significatio inest, et eos continet locos, ubi ea ante definitiorem loci et temporis designationem aut post eam collocata invenimus: II 1045 *foris haec extra moenia mundi*, III 606 *ire foras — de corpore toto*, V 903 *ore foras acrem flaret de corpore flammam;* VI 1043/44 *intus ahenis In scaphiis*, II 965 *suis — in sedibus intus* cf. VI 798, VI 202 *cavis — fornacibus intus* cf. 278, 1167, IV 1083 *nam cibus atque umor membris adsumitur intus*, nisi potius *membris* hic ablativus instrumenti est, II 711 *intus in artus;* VI 1019 *sursum — consurgere in auras;* III 1014 *de saxo iactus deorsum;* II 1153/54 *superne — de caelo demisit* et adicio hic III 626 *infernas animas Acherunte vagari* h. e. *inferne animas Acherunte v.;* III 27 *sub pedibus quaecumque infra per inane geruntur;* VI 140 *hic — in terra* (ubi *hic* praecedenti *ibi* oppositum est); VI 483 *huc veniant in caelum;* VI 277 *insinuatus ibi vortex versa-*

tur in arto; fortasse etiam *illim — a proiecto corpore* in vs. III 879/80, ubi Lachmanni interpunctio, qua commate post adverbium *satis* posito verba *se dividit nec removet* ut synonyma arte inter se iunguntur, magis mihi placet quam altera illa, ubi commate post *illim* posito eadem sententia bis exprimitur. Restant III 28 *his ibi me rebus quaedam divina voluptas percipit atque horror,* ubi alii *tibi* scribunt, ne illud quidem ineleganter dictum; III 861 *in eo tum tempore,* VI 429 *in eo tum — tumultu* atque conferri potest cum hac adverbii collocatione crebrum illud *in cunctas undique partis* I 1007, II 93, 131, 1048, 1134, IV 163, 224, 723, V 469, VI 932. — Neque vero Lucretius solus sed etiam ceteri scriptores tali modo loci et temporis significationem fortius augere et luculentius describere solent; comparari possunt: *intus in corpore* apud Ciceronem in libro de finibus bon. et mal. III, cap. 5, 18, *in aede intus* apud Livium XXIV. 10, 6, deinde *tali intus templo* in Vergili Aen. VII 192, *hinc Tyrrhena ab sede* Aen. VII 209, *hinc — vicino a limine* Ecl. I 53, *inde — Stygia — ab unda* Aen. VI 385, *sursum in coelum* apud Plautum in Cistellaria II. 3, 79 aliaque praebet multa Handius in Tursellino sub voce. *hic, ibi, hinc* etc. Neque hic usus aut in nostro sermone inusitatus est aut alienus erat a Graecorum more loquendi. Quin etiam talia exempla nonnumquam inveniuntur, ut verbum quoque enuntiati cum praepositione compositum sit, quae et ipsa eandem loci significationem continet; velut Herodotus dicit *ἐκ τῆς ταφῆς ἐκφέρειν ἔσω* aliaque invenies in Lobecki ad Aiacem commentario, v. 741. Eadem ratione etiam Lucretius dicit III 770 *quidve foras sibi vult membris exire senectis,* III 1058 *exit saepe foras magnis ex aedibus ille,* VI 681 *flamma foras vastis Aetnae fornacibus efflet,* VI 817 *expiratque foras in apertum — caeli,* VI 886 *et simul exspirare foras exireque in auras,* III 589 *prolapsa foras enaret in aëris auras,* III. 601/2 *quin extra prodita corpus Imbecilla foras,* Plautus in Amphit. III. 4, 25 *dein susum escendam in tectum,* Livius XXV. 11, 15 (naves) *quae sino exiguo intus inclusae essent.*

PARS ALTERA.

CAPUT TERTIUM.

Ab his duobus quae iam percensui abundantiae generibus, copulationi et asyndeto bimembri ea quae sequuntur plane distincta sunt. Ibi enim binae voces cognominatae aut particula coniunctae aut *ἀσυνδέτως* compositae suum utraque locum obtinebant et per se stabant, hic ubertas ita oritur, ut a substantivo genetivus pendeat aut adiectivum ei adiciatur, deinde ut verbum nominis, adiectivi, adverbii, participii additamento augeatur, cum ex natura atque significatione et substantivi et verbi tale additamentum plane supervacaneum videatur. Quorum abundantiae generum varietatem dilucide explicare et qualis cuiusque natura sit ostendere iam conabor neque tamen, ubi fieri poterit et commodum erit, consilii et artis poeticae a me antea copiosius illustratae vestigia demonstrare neglegam. Qua in re a genetivis et adiectivis ad nomina appositis incipiam. Atque in eorum quidem locorum numero, ubi genetivos abunde positos videmus, facile illi primum distinguuntur, in quibus genetivus eandem habet vim atque nomen, de quo pendet, ita ut mera tautologia oriatur. Iam antea commemoraveram ibi ubi poetam *mentem* et *animum* saepius abunde coniunxisse ostendi, eundem *mentem animi* plus quam semel dixisse. Videtur igitur genetivi ille appositi pleonasmus alia et exquisitior quidem eius ubertatis forma esse, quam in nominibus synonymis coniunctis copiosius exposui; quae sententia aliis eiusdem generis exemplis probatur et confirmatur. In v. 626 libri II dicit Lucretius *aere atque argento sternunt iter omne viarum* poetica ratione plenius illa enuntiata quam *sternunt omne iter* (den ganzen Weg) vel *sternunt omnes vias* (alle Strassen), ubi Munro apte contulit v. V 712 *cursusque viam sub sole tenere* et par tautologia occurrit in eiusdem libri v. 1122 *iter infestum fecere viai* quod maiore cum elegantia poeta posuit quam *iter infestum fecere viamque;* synonyma illa coniuncta invenimus apud Caesarem in belli Gallici libro VI, cap. 17 *hunc* (Mercurium) *viarum atque itinerum ducem — arbitrantur* et in Ciceronis quoque ad Atticum epistola sexta decima libri V, par. 1 *etsi in ipso itinere et via discedebant publicanorum tabellarii* maiorem quam pro necessitate sententiae verborum copiam esse apparet. — Aliud deinde genetivi exemplum extat in v. 67 libri IV

formai servare figuram. De his vocibus egit Doederleinius in l. l. vol. III, pagg. 25—28, qui id exponere videtur figuram magis ad corporis lineamentorum conformationem, formam ad membrorum compositionem et naturam spectare. Sed negari non potest in sententia minus definita haec verba prorsus synonyma saepius mutari et coniungi ut a Cicerone in Tuscul. disp. libro I, cap. 16, 37 (animorum) *formam aliquam figuramque quaerebant,* de or. III. 45, 179 *referte nunc animum ad hominum vel etiam ceterarum animantium formam et figuram* et a Lucretio ipso V 440 *propter dissimiles formas variasque figuras,* V 730 *ordine formarum certo certisque figuris,* II 778/79 *ex aliis formis variisque figuris* (h. e. *ex rebus varium in modum formatis*), quibus duobus nominibus accedunt *filum,* cf. II 341 *pari filo similique adfecta figura,* V 572 *forma — solis — filumque,* et *facies* V 1260/61 *tum penetrabat eos posse haec liquefacta calore Quamlibet in formam et faciem decurrere rerum;* item apparet poetam *formam* et *figuram* variandae orationis causa mutavisse in vs. II 334/35, 494/95 pariter ac Ciceronem de nat. deor. I. 18, 48 *quod si omnium animantium formam vincit hominis figura* et cum versu 67 libri IV apte comparari poterit ex eodem libro versus 554 *servat enim formaturam servatque figuram.* Non dubito igitur illud *formai figuram* apud Lucretium et in Ciceronis de nat. deor. libro I, par. 90 *hoc dico, non ab hominibus formae figuram venisse ad deos* eadem tautologia dictum existimare quam in prioribus exemplis explicavi et quae aperte etiam his locis cognoscitur: IV 814 *ac nos in fraudem induimus frustraminis ipsi* et III 774 *denique conubia ad Veneris partusque ferarum,* quocum Munro apte componit Ovidi Amor. libr. II. 7, 21 *quis Veneris famulae conubia liber inire — velit;* nam utroque loco *conubium* est *concubitus,* sed ne Veneris quidem nomine aliud significatur, cf. Verg. Georg. III 97 *frigidus in Venerem senior,* Prop. V. 7, 19 *saepe Venus trivio conmissast* et haec exempla Lucretiana: IV 1268 *viris Venus ut concinnior esset,* II 173 *et res per Veneris blanditur saecla propagent,* V 845 *iungi per Veneris res* latiusque dictum II 437 *egrediens genitalis per Veneris res.* — Ceterum locus ille quem ex Ovidi Amoribus attuli apte ostendit in hac re fieri posse, ut a pari nominum synonymorum hoc modo in unum quasi coalescentium alter genetivus suspensus sit; nam *Veneris conubia* unum est, inde pendet genetivus *famulae,* cuius simile exemplum apud Lucretium virorum doctorum nemo, quantum scio, agnovit; extat enim in vs. 557/58 libri I ubi a verbis *longa infinita diei aetas* (h. e. *temporis aetas,* quae nomina Lucretius ipse ut cognominata copulavit in

v. 233 *infinita aetas — ante acta diesque*) pendent illa *ante acti temporis omnis*, quasi dicas: *infinite longa* (vide pag. 38) *temporis aetas superiorum saeculorum omnium*. Itaque non solum Fabri coniectura *dies et Inf. aetas* cadit sed etiam quod Sauppius sine illa particulae *et* male in fine hexametri positae offensione correxerat (in indice scholar. Goetting. 1880) *longa dies in Infinita aetate ante a. t. o.* reiciemus et traditam lectionem servabimus. — Praeterea poeta cum dicit V 882 (puer) *ubera mammarum in somnis lactantia quaeret* nihil aliud quam eandem rem bis exprimit eodemque modo Gellius in duodecimo Noctium Atticarum libro, cap. 1, 7 *an tu — putas naturam feminis mammarum ubera — non liberum alendorum sed ornandi pectoris causa dedisse?*, nec video, qui Wakefieldus haec ubera *papillas mammarum* potuerit intellegere (cf. quae de ea re disputavit Doederleinius l. l. IV 333). Eadem deinde quae his locis causa mihi videtur esse in verbis versus 1197 libri VI *quorum si quis vix vitarat funera leti*, ubi Munro illud *leti* genetivum qualitatis esse existimat. Sed si recte sentio, hic quoque *funera leti* eadem sententia atque *funus ac letum* posita sunt, ut versus plenus fieret. *Funere* enim vel *funeribus* a poetis *mortem* saepe significari exemplis satis ostenditur cf. vs. III 710, Aen. IV 308, VI 429, 458, Ecl. V 20, Metam. VII 565, X 199, Horat. carm. II. 18, 18 et *mortem ac funus* cognominata coniunxit, nisi fallor, Lucretius in v. 580 libri II *ploratus, mortis comites et funeris atri* (cf. v. 576). Hic igitur locus non apte mea sententia illis adnumerabitur, quos ut genetivi qualitatis exempla Munro praeterea ex Lucretio contulit ad vs. III 42 et V 369, velut III 42 *Tartara leti* (*Tartarus place of death*), V 201 *silvas ferarum*, V 762 *coni umbras*, et similia etiam apud Graecorum poetas multa inveniuntur, e quibus nonnulla attulit Matthiae in grammatica Graeca § 316 f.: *στολίδα τρυφᾶς* h. e. *τρυφεράν* (Eur. Phoen. ed. Nauck 1491), *μαστοὺς γάλακτος* h. e. *γαλακτούχους* (ibid. 1527, cf. Lucret. vs. I 887 *lanigerae quali sunt ubere lactis*, II 370 *ad sua quisque fere decurrunt ubera lactis*, Tibulli carm. 3 libri I, v. 46), *τραύματα αἵματος, τὸν τᾶς ἡσυχίας βίοτον* (*βίον ἥσυχον*) aliaque aeque apta. — Sed redeunti ad genetivi illius cum tautologia positi usum sat notabile mihi videtur quod Lucretius dicit in vs. III 262/63 *inter enim cursant primordia principiorum Motibus inter se*, ubi si coniungimus *primordia principiorum* novum habemus et apertum eiusdem rationis testimonium neque id mirandum, si eorum exemplo ponderamus, quae similia antea protuli. Itaque nescio cur Munro genetivum *principiorum* cum *motibus* coniungere maluerit, nam meo quidem

sensu verba *principiorum motibus*, h. e. *suis motibus*, peius hic posita sunt, ubi pondus eorum nullum est, et simplici ablativo *motibus* longe postponenda videantur. Sustulit sane orationis ubertatem Bockemuellerus, cum *principia* de aëre, vento, vapore quartaque illa natura, de quibus paulo antea poeta exposuit, dicta accipit; sed partes illas animi merito *principia* appellari posse quis cum Bockemuellero consentiet? Itaque teneo *primordia principiorum* abunde posita, quibus addendi erunt illi *nidoris odores* quibus poeta liberalius nos donavit in v. 987 libri VI; cur enim *odoribus* solis non contentus fuit, cum *nidore* (qui item est *odor*, cf. Munronis notam ad vs. II 683, IV 684) nihil novi addiderit? Mihi poeta hoc loco quasi totius nidoris omnes singulos odores eodem abundanti dicendi genere videtur significasse, quo eum *aëris auras* pluribus locis abunde coniunxisse invenimus (I 207, 783/84, 801, 803/4, 1087, II 203/4, III 456, 568/69, 589, 749/50, IV 691, V 502, VI 1224, cf. III 575, V 854). Nam *auris* quoque *aër* significatur sed eodem consilio poetico, quo nos plurali 'Lüfte' aërem motum et quasi spirantem depingimus. Eadem scilicet est ubertas, cum Lucretius pro genetivo *aëris* adiectivo *aërius* utitur (I 771, IV 930, V 501, ut Vergilius in Aeneide V 520, Ovidius in Metam. IX 219, X 178, XIV 127). Particula autem coniuncta *aër* et *aura* apud Lucretium non inveniuntur, quae tamen copulata videmus ab Ovidio in Metam. libro XV, vs. 246/47 *tenuatus in auras Aëraque* (h. e. *in auras aëris*) *humor abit.* Sed bis Lucretius *aetheris auras* (III 833) et *aetherias auras* (III 405) posuit, quibus duobus locis Lachmannus altero *aetheris oras* altero *aërias auras* reposuit, quia *aetheris aurae* nullae esse possent. Sed recte Munro id mihi videtur animadvertere poetam talibus locis aetheris illius puri et modice labentis quasi oblitum esse, quem nobis ipse depingit in vs. 495—508 libri V et simpliciter *aethere* superas caeli regiones significasse, in qua re etiam alii poetae eum secuti sunt ut Vergilius, Ovidius, quorum locos quod Lachmannus omnes correxit, laudanda est viri egregii in iudicando constantia, ratio eius vix sequenda. Nam Lucretius non solum *auras aetheris* vel *aetherias* commemorat, inveniuntur etiam *aetheriae nubes austri* (IV 180 cf. VI 98, 268, 291), quamquam poetae semper *innubilus* est aether (III 21), quae res inter se valde discrepant, nisi aethere oras caelestes significari statuimus. Videmus igitur, quo iure et Lucretius solem *aetherium* appellet (V 215, 267, 281, 389) et Vergilius non modo solem (Aen. VIII 68) sed etiam sidera (Aen. VII 767/8), astra (V 517), nimbos (VIII 608), Ovidius item nubem (XV 804), tumultus (III 308/9). Sunt enim haec eadem ratione posita, qua Lu-

cretium *volucres aërias*, *caeli nubila*, *caeli signa*, *mundi sidera*, *faces caeli*, *solem caeli*, *fulmen caeli* (quod Lachmannus iniuria negat in commentarii pag. 42), *caelestem fulminis ignem* dixisse invenimus. — Ceterum praeter *aërem* et *auras* a Lucretio etiam *animam* positam invenimus non solum ita ut *ventum* significet velut in v. VI 578 *ventus — atque animae — vis maxima quaedam*, et similiter in v. V 1228 *ventorum — paces — animasque secundas* ubi tamen *ventos* et *animas* ut synonyma mutari, non cum Munrone *ventorum* genetivum etiam ad *animas* pertinere existimo, quamquam *ventorum animae* per se bene possunt intellegi; Munro affert Acci verba *vela ventorum animae inmittere*. Idem vir doctus ostendit (in nota ad v. I 715) *animae* nomine etiam *aëris* elementum ipsum significari apud Ennium, Vergilium ipsumque Lucretium I 715 et V 236, quo postremo loco *aurarumque leves animas* aperta tautologia poeta coniunxit. Etiam apud Ciceronem *anima* nonnumquam hanc habet sententiam ut in altero Academicorum Priorum libro, cap. 39, 124 *si simplex* (animus est), *utrum sit ignis an anima an sanguis?* et apte Munro ex eodem Cicerone commemoravit adiectivi *animalis* usum in libro de nat. deor. III, cap. 14, 34.

Sed praeter haec genetivi exempla alterum locorum ordinem constituere possumus, ubi genetivum, quamquam non parem habet vim atque nomen de quo pendet, tamen ex illius sententia abunde ei appositum esse apparet. An necessarium fuit in vs. I 313/14 *vomerem aratri* dicere, cum vomerem nullius rei nisi aratri esse omnibus manifestum sit? et cur duobus versibus ante *multis solis redeuntibus annis* anulum tenuari poeta commemorat, cum annis ipsis id aeque bene fiat? (cf. V 928 *multaque per caelum solis volventia lustra*). Sed tali accessione, quamquam extra perspicuitatis modum necessarium excedit, tamen rei ipsius imago luculentius animo repraesentatur; itaque talia scriptori displicebunt, decebunt poetam et quae in prosa oratione languent et offendunt, ea in carminibus ornatui serviunt et grata sunt. Hac igitur ratione iudicanda erunt: II 432/33 *compungere sensus Corporis*, IV 603/4 *quasi ignis Saepe solet scintilla suos se spargere in ignis*, deinde III 901 *animi angor metusque*, IV 904/5 *quibus ille modis somnus — animi curas e pectore solvat — edam*, V 1068 *ganitus vocis*, V 1313 *capitum cristae*, quamquam non ignoro totum hunc versum, quem postremo loco attuli, Lachmannum Fabro auctore ut ex libro II 632 inepte huc translatum censorio uncorum signo notavisse. Sed fateor me cum Munrone facere qui versum retinuit, quo totius rei imago etiam maiore cum perspi-

cuitate et gravitate depingi mihi videtur, neque quod Faber obiecit iustam causam puto, cur versus proscribatur. Lucretium versus saepe iterasse res notissima est neque illud obscurum, poetam etiam paulo mutatos eos repetivisse (cf. Lachmanni notam ad v. V 1048). Itaque mirum non erit in versu libri V *undique* inveniri, cum in libro secundo *momine* poetam scripsisse verisimile sit. — Praeter haec exempla afferri possunt III 389 *pedum vestigia*, V 101 *oculorum visus* (cf. Quintil. I. 2, 11 *visus oculorum obtutu continuo fatigatur*) aliaque ut illud Ovidi a Munrone allatum (Met. I 179/80 *terrificam capitis concussit terque quaterque Caesariem.* Tamen in hac quoque re cauto iudicio opus est neque de omnibus exemplis una ratione iudicandum sed quid secutus sit poeta unoquoque loco diligenter circumspiciendum. Uno exemplo id quod dixi illustrabo, cum plenius hic rem persequi nequeam. Quod poeta in vs. I 211/12 dicit homines *fecundas vertentes vomere glebas* semina rerum ad ortus ciere, quas glebas significaverit nemo nescit et abundaret oratio, si *terrae* genetivum adiecisset. Quod vero hoc additamentum in v. V 142 nobis occurrit, Lucretius hoc quidem loco non solum rei perspicuitatem more poetico auget, sed alia est et iustior in hoc versu ratio poetae. In hac enim libri V parte Lucretius, ne terram, solem, caelum, mare, sidera, lunam corpore divino aeterna esse putemus (vs. 114—16), ostendit haec omnia ne sensu quidem vitali uti; nam cum animus nisi in corpore humano exsistere non possit, prorsus esse infitiandum eum aut in solis igne oriri aut in aqua aut in altis aetheris oris aut — iam verba *putribus in glebis* sola non plane suffecissent, sed cum poeta aperte ad versum 115 nos revocet, terrarum nomen ipsum appellare eum oportet et verba illa *putribus in glebis terrarum* nihil sunt nisi poetica simplicis terrae nominis circumlocutio. Similiter res se habet etiam in v. I 888. — Sed hoc satis sit, ut quid sentiam significetur. Transeo iam ad nonnulla similis ubertatis exempla, quae extant in verbis versuum II 30, V 1391 *propter aquae rivum;* nam si dulcis aquae aut purae rivum poeta descripsisset aut aliud quid simile, rivi naturam accuratius definivisset; genetivo *aquae* autem solo adiecto nihil accedit, quod non ex rivi nomine ipso intellegatur. Sed eadem phrasis invenitur etiam in Culice, v. 388 et in Ecl. Verg. VIII 86, quae exempla una cum Tibulli libr. I, carm. 1 v. 27/28 *sub umbra Arboris ad rivos praetereuntis aquae* recte a Munrone adhibentur (cf., si placet, etiam Psalmi primi versum 3 'der ist wie ein Baum, gepflanzet an den Wasserbächen'), et similiter genetivus materiae lepida abundantia his locis Lucretianis additur: II 664

ex unoque sitim sedantes flumine aquai, VI 552 *aqüae — lucunas,* V 660 *aquai — fons,* VI 1070 *aqüai fontibus,* VI 1263 *silanos ad aquarum,* quibus addas Aen. XI 495, VII 465; mirum illud *efficit ut largis avidum mare fluminis undis Integrent amnes* apud Lucret. I 1031 Munro sic recte videtur interpretari, ut fluminis undis uniuscuiusque amnis fluctus significentur.

Denique hic aliquot loci commemorandi sunt velut v. IV 840 *at contra conferre manu certamina pugnae,* ubi illa *certamina pugnae* eadam verborum copia supervacanea coniuncta videntur, qua Vergilius usus est in Aen. XI 780 *ex omni certamine pugnae,* XII 589 *pugnae — in certamine,* Ovidius in Met. XII 179/80 *cuius certamine pugnae cognitus,* is qui bellum Alexandrinum conscripsit in cap. XVI par. 1 *minime autem par erat proelii certamen.* Nam quamquam verum est certamen non semper pugnae esse debere sed in qualibet arte fieri posse, tamen ibi ubi de armorum certamine agitur pugnae significatio ex usu sermonis Latini tam facile e conexu intellegitur, ut genetivus ille nulla necessitate addi videatur. Eodem modo *lumina* pro *oculorum luminibus,* ubi e verborum contextu sententia dubitationem nullam relinquit, tam saepe sola usurpata invenimus, ut neque apud Lucretium VI 184 *quae perveniunt oculorum ad lumina nostra* et 1178/79 *patentia cum — Lumina versarent oculorum expertia somno* genetivo oculorum egeamus neque apud Cornel. Nep. in Timol. c. IV 1 *lumina oculorum amisit,* neque alia est causa in verbis versus 212 libri I *terraique solum subigentes* et I 8 *tibi rident aequora ponti* (cf. II 772, IV 408/9, VI 440, II 781), ubi genetivi *terrae* et *ponti* ex usu et consuetudine linguae Latinae deesse poterant. Sed simul apparet non propriae abundantiae haec esse exempla sed latioris cuiusdam dicendi generis diversi ab eis, quae antea explicavi. Itaque haec gravissima et notissima exempla proferre satis habeo, rem illam copiosius tractare consulto supersedeo.

Hac genetivi ratione pertractata ad illos locos progredior, ubi in adiectivorum usu poetam profusiorem quam sententia postulet se praebere videmus. Qua in re principio aliquot exemplorum mentionem facio, in quibus nomini cum genetivo coniuncto adiectivum adicitur genetivi vim iterum exprimens. Haec abundantia orationis qualis sit apte cognoscitur Enniano illo versu, qui extat in Andromachae reliquiis (v. 107) *Acherunsia templa alta Orci — saluete infera,* cuius ad exemplar conformata ex Lucretio haec possunt afferri: III 751 *fera saecla ferarum,* I 503 *duplex natura duarum — rerum,* V 28 *tripectora tergemini vis Geryonai* eadem alliterationis studii exempla,

sed etiam illa deficiente: II 437 *genitalis per Veneris res*, V 725 *Babylonica Chaldaeum doctrina*, V 740 VI 730 *etesia flabra aquilonum* (cf. VI 715/16), V 1202 *magni caelestia mundi* (h. e. *caeli*, vide Munronis notam ad v. I 788) *Templa*, denique e libro VI v. 154 *Phoebi Delphica laurus*, ubi poetae morem prorsus ignorat si quis credit Lucretium Delphicam laurum a Cypria distinguere voluisse, et v. 1072 *purpureusque colos conchyli* (II 830 dixerat *purpura poeniceusque color*), in quibus omnibus Lucretius poetice sententiam latius conformavit ita ut eam venustius et luculentius illustrare aut gravius enuntiare voluisse aperte cognoscatur.

Neque aliam ob causam nisi orationis exornandae gratia in fine v. V 741 verba *Euhius Euhan* (meminisse videtur Enniani versus in Athamante 150 *tum pariter euhan euhoe euhoe euhium* etqs.) eadem lepida soni similitudine posita sunt, qua Lucretium in v. I 826 *sonitum sonantem* composuisse, *anxium angorem* III 991, *vim violentam* (V 961 *vel violenta viri vis* cf. v. 1224 *summa — vis violenti — venti*, III 480 *vementem violentiam vini*, V 1268 *vires violentas*; contra III 296 *vi violenta leonum* leones violenti significantur nota nominis circumlocutione) cum gravitate aperta dixisse, Ennium (in Iphig. rell., v. 256 *otioso in otio animus nescit, quid velit*) pariter ac Ciceronem in or. pro Planc. 27, 66 *otiosum otium* graviter et lepide coniunxisse videmus, quibus a Lambino *amoenitas amoena* (Plaut. Capt. IV, 1, 7 *hic me amoenitate amoena amoenus oneravit dies*), *pretiosum pretium* (Epid. I, 2, 17) *pulchra pulchritudo* veteris illius elegantiae apta et aperta exempla adduntur. His paria sunt Graeca *αἰσχύνη αἰσχρά, δίκη δικαία, διάφορος διαφορά, μακρὸν μῆκος* etc., de quibus Latinis comparatis egit Lobeckius in Paralipomm. gr. Gr. p. 535/36.

Sed sunt alii loci, ubi adiectiva abunde apposita tali alliteratione excusari non possunt. Non loquor de adiectivis illis ornantibus, quibus, cum significatione sua nominis naturam apte definiant, poetae more solito ibi quoque utuntur, ubi e toto sententiarum conexu illam nominis naturam significatam nullo modo exspectamus, illa dico, quibus appositis nihil aliud additur nisi quod e nominis vi per se ipsum apparet et eminet. Velut *inane* Lucretius recte et apte *magnum, profundum, quietum* appellat, sed quid novi accedit, cum *vacuum* cognominatur? Tamen illud *vacuum inane* saepius apud Lucretium occurrit (I 439, 509, II 151, 158, 202, 236, VI 838) et memor eius fuit Vergilius in Aen. XII 906. Eadem deinde est res ibi ubi substantivis, quae initium significant, adiectivum *primus* adiungitur. Talis rationis exempla praebent vs. I 383 *unde initum primum*

capiat res quaeque movendi, III 331 *implexis ita principiis ab origine prima* cf. v. 769, V 548, 676, Verg. in Aen. I 372, VII 371, quam origiuem *genitalem* poeta dicit V 171, 324, 1210; deinde V 675 *namque ubi sic fuerunt causarum exordia prima* (cf. Aen. IV 284), quae *exordia prima* de seminibus dicta etiam in v. 380 libri III leguntur, si traditam scripturam sequimur, neque obscura est in ipsorum primordiorum nomine eadem orationis abundantia; nam *primordia* proprie sunt *ordia prima*, quod si opus est firmare, perspicitur versu 28 libri IV *quove modo distracta* (animi natura) *rediret in ordia prima.* Sed his locis adiectivum *primus* licet ad sententiam redundet, tamen non sine gravitate nomini adiectum est itemque sentimus, quod Lucretius de *vestigiis primis* III 309, de *supremae calcis spatio* VI 92, de rebus *prima fronte* locatis I 879, IV 95, 69, 201, de *summo colore* corporis IV 93, 264 loquitur, adiectivo addito nominis vim aperto consilio poetae augeri et amplificari. Neque aliter in v. I 186 *nam fierent iuvenes subito ex infantibus parvis* et v. 1106 *parva perductus opella* quamquam in *opella* et in *infantibus* ipsis vis exiguitatis inest, tamen altero loco mira quam fingit poeta in semine incerto nascendi ratio efficacius oculis subicitur, altero quam facile rerum natura perspiciatur, si quis veram rationem sequatur, gravius exprimitur. Aliis locis in adiectivo apposito non magis gravitatis consilium quam imaginis lepide depictae formam videbimus. Velut quod poeta in vs. I 293/94 hoc dicit (venti res) *interdum vertice torto Corripiunt rapideque rotanti turbine portant*, in torto vertice apertus est pleonasmus itemque *rapidus turbo* sententiae satisfecisset. Tamen nemo negabit eadem torquendi significatione saepius expressa totius rei faciem graviter et luculenter multis illis variisque verbis esse depictam. Praeterea Lucretius simili lepore etiam *turbinem versantem* (VI 126) et *versabundum* (438) nobis proponit atque *torto vertice* etiam Vergilius usus est in Aen. VII 567. Ceterum talem dicendi rationem ipsis poetis placuisse consentaneum est. Itaque Lucreti *taciturna silentia* (in v. IV 581) in Ovidi Art. Am. II v. 505 iterum occurrere videmus et ut Lucretius de *caecis tenebris* (II 55, 745, 798, III 87, VI 35), de *caeca caligine* (III 304, IV 454) loquitur, sic *caeca caligo* etiam apud Vergilium invenitur (Aen. III 203), apud Catullum (64, 207); item cum verbis versus II 3 *iucunda voluptas* Munro apte confert Prop. I. 10, 3 *o noctem meminisse mihi iucunda voluptas* et Aetnae versum 251 *divina est animi et iucunda voluptas.* — Deinde his similia sunt apud Lucretium *calidus aestus* (I 300) vel *vapor* (II 844, III 126, 215, V 567, 594,

795, VI 858, 870, 948) vel *fervor* (V 603, VI 656), *fervidus ardor* (V 204, 1097), *gelidus rigor* (V 638). Itaque nihil causae erat, cur Bockemuellerus in *utilitate opportuna* VI 893 offenderet, praeterquam quod omnino nulla extat in his verbis abundantia; nam utilitas opportuna est quod nos dicimus eine Hülfe in der Not, a seasonable help in need, ut Munro vertit. Contra verius fortasse statuat quispiam adiectivo addito sententiam nominis non variari, quod poeta adiectivum *rarus*, quod substantivis apte tribuitur, ad ipsa corporum foramina (V 457) vel vias (VI 332 *per rara viarum* h. e. *per raras vias*) transfert et quod umorem aquae *liquidum* appellat I 349, III 427 cf. II 992/93, ita ut eum *rorem liquoris*, h. e. *rorem liquidum* abunde dixisse videmus I 771. Etiam apud Ovidium inveniuntur *liquidae aquae* in Met. XV 246 oppositae illae solido terrae corpori.

Sed cum in praecedentibus de genetivis et adiectivis dixerim nominibus abunde adiectis, in fine huius partis aliorum quorundam locorum mentionem facere mihi liceat, ubi additamenta quaedam non nominibus sed alius generis verbis supervacaneum in modum apposita invenimus. Huc enim refero ablativum illum *numero* numeralibus et adverbio *saepe* abunde additum (vide vs. I 432 *quod quasi tertia sit numero natura reperta* et VI 414 *at saepest numero factum fierique necessest*) deinde illud *inde loci* V 443, 739, 788 in temporis significatione, de quo cf. Zumptium in gr. Lat. § 434, porro verba *quippe etenim primo quasi quendam conciet aestum* in v. VI 826, ubi adiectivi *quidam* vis etiam omisso illo *quasi* intellegitur (cf. Reisig. l. l. pag. 345 et Haasi adnotationem), quae omnia sat nota verbo attigisse satis erit. — Ne de illa quidem verborum coniunctione *plerumque omnes* in v. IV 1041 repetam quae Handius exposuit in Tursellini vol. IV pag. 473, qui de hoc ipso Lucreti versu copiosius egit in vol. II pag. 95 fin. Idem vir doctus de compositione particularum *sic item* in vol. III pag. 523 haec adnotat: 'sic item' *ne coniungantur, nulla impedit caussa, quum significet 'sic eodem modo'* et affert Caes. b. Gall. I 44 *ut ipsi concedi non oporteret, si in nostros fines impetum faceret, sic item nos esse iniquos, qui in suo iure se interpellaremus*, ubi *sic* deesse poterat. Inveniuntur eiusdem rei exempla etiam apud Lucretium, qui et *sic item* saepius componit (velut II 695, 1019, IV 161) et *sic itidem* II 915 (cf. Graecorum *ὡςαύτως οὕτως* cuius nonnulla exempla dedit Heindorfius in nota ad Plat. Phaed. p. 98 A et ad Protag. p. 351 D) certe non sine gravitate et magna cum vi demonstrandi, quae eadem inest in pronominibus *hic idem*, *idem ille* coniunctis de quibus cf. Reisig. l. l § 216 cum Haasi adnotatione.

CAPUT QUARTUM.

Sed de hoc genere satis dictum sit. Transgredior ad novum, quod omnes eos locos contineat, in quibus verbo cuidam aut nomen aut adiectivum aut adverbium aut denique gerundium praeter necessitatem apposita invenimus. Initium sumat haec quaestio a nomine verbo adiecto, in qua re, ut hic quoque ratio quaedem adbibeatur, primum illi loci apte comprehendentur, ubi, cum id quod aut sensibus aut corporis membris agitur ita enuntietur, ut in verbo ipso insit proprii sensus aut membri aperta significatio, horum tamen vocabula a poeta verbo praeter necessitatem etiam adiciuntur. Nihil enim in sententia desideraremus, si poeta in v. II 357 solum dixisset *omnia convisens loca, oculis* non adiectis, neque in v. IV 464 *pro visis ut sint quae non sunt sensibus visa* inane sensuum additamentum desideremus. Item quod paulo antea (in v. 457) poeta de campis transeundis loquitur, nemo illud nisi pedum opera fieri non posse negabit, aut quod Lucretius in v. I 495 homines pocula *manu retinentes* faciat, in vs. III 910/11 tamen satis habeat dicere, *tenentque pocula — homines* poetam altero loco omittendo peccavisse quisquam contendet. Quod ut fiat tantum abest, ut talis accessio verborum, quae facile intellegantur, tamquam inutilis orationis redundantia fortasse iure vituperetur. Qua in re etiam Quintilianus, subtilis ille earum quae perfectum oratorem efficiunt artium existimator, monet eum, ut tali effusione abstineat, cum in octavo Institutionis Oratoriae libro, cap. 3, § 53—55 (ed. Halm.) haec scribat: *Est et pleonasmos vitium, cum supervacuis verbis oratio oneratur: 'ego oculis meis vidi', satis enim 'vidi'. emendavit hoc etiam urbane in Hirtio Cicero, cui, stasin* (sic Hauptius, vide opusc. III p. 480) *cum declamans filium a matre decem mensibus in utero latum esse dixisset, 'quid? aliae', inquit, 'in perula solent ferre'? nonnumquam tamen illud genus, cuius exemplum priore loco posui, adfirmationis gratia adhibetur: 'vocemque his auribus hausi'. at vitium erit, quotiens otiosum fuerit et supererit, non cum adicietur* (cf. IX. 3, 46). Haec ille vere atque caute disputavit. Neque enim ubique haec copia reprehendenda est sed inveniuntur exempla, in quibus sententiae cuidam ponderi non inepte videtur servire. Hoc fit et in Aeneidos illo versu, quem attulit Quintilianus et in Ciceronis loco (in or. pro Mil. 2, 6) *nisi oculis videritis insidias Miloni a Clodio factas* h. e. *ante oculos, in promptu videritis,* eademque est res apud Lucretium ipsum in vs. I 200/1, ubi pedum et manuum nominibus adiectis praeterquam quod alliteratio magis sub oculos cadit, etiam

membrorum illorum magnitudinem gravius efferri e toto conexu probabile videtur. Item in v. IV 840 *at contra conferre manu certamina pugnae* ablativus *manu* respondebit nostro mit bewaffneter Hand vel mit den Waffen in der Hand ut in simili versu Vergiliano a Lachmanno apte allato (Aen. VII 604) *sive Getis inferre manu lacrimabile bellum* et poteris etiam comparare Aen. XII 23, 627. Aliis locis *manu* significatur nostrum mit eigener Hand ut in Aen. VI 435 et nota sunt *opera manu facta* naturae opposita. Illis tamen quos initio protuleram locis nulla erat neque alliterationis neque auctae sententiae excusatio, quibus locis adiungo vs. IV 616/17 *plenam spongiam aquai Si quis forte manu premere ac siccare coëpit*, ubi sententia facile *manu* illa carebit, et pertinet huc etiam phrasis illa: *me animi fallit* I 136, 922, V 97, ubi partis definitione opus non erat. Ceterum similia etiam apud Graecos poetas saepe inveniuntur, ex quibus nonnulla exempla collegit Lobeckius in Aiac. commentario v. 310.

Sunt autem etiam talia verba, quae per translationem sensuum munera significant, usu tamen saepe ita iam vulgata, ut per se ipsa ad sensus referantur, velut cum *cernere* videndi notione usurpatur. Quibus quod a scriptoribus et a poetis nonnumquam sensuum nomina apposita videmus, fit item pleonasmus, cuius tamen ratio quomodo a prioribus differat facile perspicitur. *Oculis cernere* autem pro solo cernendi verbo et Lucretius dixit I 268, II 837 et Cicero Tusc. I. 20, 46 *nos enim ne nunc quidem oculis cernimus ea, quae videmus*, idemque Lucretius *auribus accipere* usurpavit in vs. IV 979, VI 164. — Similis deinde ratio est in verbis dicendi. Lucretium *pandere dictis* V 54, *expandere dictis* I 126, *exponere verbis* I 833 III 949, *pertexere dictis* I 418, *iactare aliquid dictis* IV 590 (cf. Aen. IX 621), *vincere verbis* V 733 (cf. Verg. Georg. III 289), *rationem reddere dictis* III 178 IV 173 *verbis* V 1166 copiosius quam sententia postularet dixisse minus mirabimur — ut non videamus omnibus his locis orationis copiam alliterationi aut numero explendo servire — quam quod eum ne talia quidem: *dictis orare* IV 834, *doceo dictis* V 56 (hoc quidem alliterationis causa sine dubio positum) vitasse cognoscimus, et cum his apte componemus apud Ennium *exin compellare pater me voce videtur his verbis* (Annal. v. 45 cf. Verg. Aen. V 161), *quam tibi ex ore orationem duriter dictis dedit* (Trag. rell. v. 348) et apud Vergilium *fando* (h. e. *verbis, oratione*) *explicare* (Aen. II 361/62) *enumerare* (IV 333/34). — Sunt tamen alia quoque non minus praeter sententiae necessitatem addita velut II 673 *quaecumque igni flammata cremantur* et V 1241 *ignis ubi ingentes silvas ardore cremarat,*

atque etiam solutae orationis scriptores videmus similia sibi concessisse cf. Caes. b. Gall. I. 4, 1 *damnatum poenam sequi oportebat, ut igni cremaretur* et Suet. Calig. 27 fin. *poetam igni cremavit.* Item in verbis vs. IV 1042 *unde icimur ictu* illud *ictu* deesse poterat, cum vis eius verbo ipso significetur ut similiter VI 339 *discutiat plagis.* Sed priore loco alliterationem poetam duxisse veri simile est, quam eandem in versu II 301 *et erunt et crescent vique valebunt* vocis *vi* verbo *valebunt* appositae causam fuisse apparet. Nam sententia quidem illud *vi* non magis postulatur quam in v. III 781 *neque inter se contendant viribus hilum* ablativo *viribus* opus esse videtur aut III 264 *spatio fieri divisa potestas* spatio omisso sententiae perspicuitas obscuratur. Neque negabitur etiam in v. V 1315 (equos) *frenis convertere in hostes* instrumenti significatione facile intellegenda carere nos posse et in vs. VI 751 et 821 pennarum nomen satis esse supervacaneum, cum aves pennis per auras ferri per se quisque intellegat. Item in vs. V 907 *multa — licet — effutiat — ore*, 1377 *liquidas avium voces imitarier ore,* I 39/40 *suavis ex ore loquellas Funde* significatione oris opus non erat; cf. Verg. Aen. V 842 *funditque has ore loquelas* et *pausam ore facere* apud Ennium (in Annal. rell. v. 572) et Lucilium (v. 16 *pausam facit ore loquendi*). Contra in v. V 1126 *regere imperio res velle et regna tenere* quamquam ablativus non postulatur, tamen summi imperii notio gravius et iustius hic mihi videtur significari quam apud Vergil. in Aen. VI 851 *tu regere imperio populos Romane memento.* Postremo duos locos hic affero, ubi Lachmannus codicum lectionem iniuria mihi videtur infestavisse; prior extat in v. 740 libri VI, qui in codicibus sic circumfertur: *principio quod Averna vocantur nomine, id ab re Inpositumst.* Poeta quin illa verba, quae comma praecedunt, sine offensione sic ut tradita sunt coniungere potuerit, licet ablativus *nomine* abundet, non dubium esse potest et Enniano illo (navis) *quae nunc nominatur nomine Argo* (in Trag. rell. v. 283) id firmatur, (quocum compares apud Lucretium *Curetas nomine Grai Quos memorant Phrygios* (II 629/30) et illud *ὄνομα δ' ὠνομάζετο Ἕλενος* in Soph. Phil. 605/6) si opus est firmamento; sed hoc loco ablativus appositus eo magis excusatur, quod sic fulciuntur ea quae sequuntur verba enuntiationis demonstrativae. Quod vero poeta sic scribere maluit quam quae simpliciora sunt: *nomen id ab re inpositumst,* hoc sane illius erat arbitrii, nobis talia servanda potius sunt quam corrigendo delenda. — Alter locus extat in v. V 349, ubi si Lachmannum sequeremur legentes: *morbis aegrescimus idem Atque* etqs., illud *morbis* scilicet

nullius esset ponderis. Sed hic Munroni plane me assentiri fateor ex Pii coniectura scribentis: *morbis aegrescimus isdem.* Nam Lachmanni interpretatio verborum *inter nos idem atque illi* etqs. quae ita explicat: *inter nos simillimi ac prorsus iidem nos et illi quos* etc. sat audax est neque talis dicendi brevitas Lucreti propria. Forma *isdem* autem, quam Lachmannus Lucretio adscribere non ausus est, et hic et in v. II 693 in loco videtur esse et illud *inter nos* Munro hic apte interpretatur *one with the other*, *taken all in all,* quod quidem ab hoc poeta frequentatum etiam ibi nonnumquam ponitur, ubi e sententiae conexu deesse potest velut in vs. I 838 *sanguinis inter se multis coëuntibus guttis,* II 154 *sed complexa meant inter se conque globata*, ubi mutua coniunctio ipsa praepositione significatur; item II 76 *inter se mortales mutua vivunt,* V 851 *mutua qui mutent inter se gaudia*, 1098 *mutua dum inter se rami stirpesque teruntur*, ubi vicissitudinis vis adiectivo *mutuus* satis significatur.

Sed cum in his nominum exemplis versati simus, pauca iam commemorabo, ubi non in nomine ipso sed in adiectivo nomini adiecto abundantia posita est. Talia dico exempla: *conservant naturam semper eandem* I 676, *unum — conservans usque tenorem* V 508, aut *moribus unis Conveniunt* V 894 h. e. *moribus unis sunt* vel *moribus conveniunt.* Ab his deinceps ad eorum adiectivorum usum deducimur, quae non cum nomine arte coniuncta sed ad verbi notionem magis pertinentia cum vi eius ita conveniunt, ut praeter necessitatem apposita iure possint putari. Quod enim in v. IV 449 Lucretius dixit: *binaque per totas aedis geminare supellex,* aut *bina fieri* aut *geminare* solum simplici orationi conveniebat neque paulo post, in vs. 1246/47, *quibus ante domi fecundae saepe nequissent Uxores parere* necesse erat poeta adiectivo *fecundae* in hac verborum sententia uteretur. Munro enim cum verba *fecundae uxores* coniuncta vertit *wiwes however fruitful* num poetae sententiam recte expresserit valde dubito, multoque peius Wakefieldus locum explicat adverbio *ante* ad adiectivum *fecundae* relato *in prioribus Hymenaeis* ea intellegens, invito, opinor, poeta, qui hanc simplicem sententiam sine dubio efferri vult: qui antea pluribus hymenaeis nullis fecundis uxoribus usi essent, his postea ex alia femina liberi tamen contigerunt. Neque habet hoc exemplum, tantum quod negatione fortasse ratio paulo difficilius cognoscitur, aut offensionis quicquam aut novitatis sed sunt alia quoque in quibus eadem interpretandi ratione utemur. Nam et in v. III 731 *corpus enim magis his vitiis adfine laborat* eadem sententia duplici modo illustratur et in v. IV 930 (corpus) *aëriis vicinum tan-*

gitur auris adiectivo *vicinus* tangendi vis poetice iterum exprimitur. Et vix aliter iudicare poterimus de v. II 82 *avius a vera longe ratione vagaris*, cui similis est verborum collocatione et sententia v. II 229 *avius a vera longe ratione recedit* collatis versibus II 740 *procul avius erras* et III 463 *avius errat Saepe animus* h. e. *de via aberrat.* Eandem rationem deinde agnoscemus in vs. III 315/16 *differre necessest Naturas hominum varias*, V 1265 *levia radere tigna* (si Marulli coniecturam sequimur), VI 834 *claudicat extemplo pinnarum nisus inanis* denique VI 12 (vidit) *divitiis homines et honore et laude potentes Affluere*, quod sat graviter dictum Munro bene vertit: *were great in affluence of riches* etc. Sed huius dicendi generis exempla, ubi adiectivo — non sine pondere quodam ut videtur et poetica orationis venustate — nomini tribuitur quod verbi ipsius sententia satis efficitur, et Latinis et Graecis nota sunt nec solum poetis; nam eiusdem generis est, ut unum afferam, quod Thucydides dicit IV. 17, 2 τοὺς δὲ λόγους μακροτέρους — μηκυνοῦμεν et alia quaerenti dabunt Lobeckius in Paralipomm. gr. Gr. pag. 531/32 et Matthiae in gramm. Graeca §. 446, 11, 2.

His rebus expositis non mirum videbitur etiam adverbia saepius abunde cum verbis coniuncta inveniri, quod quidem maxime ita fit, ut verbis cum praepositione compositis adverbia idem fere ac praepositio valentia apponantur. Fit hoc sine magno sententiae pondere primum ibi ubi verbis, quibus praepositio *ex* praeposita est, etiam adverbia *foras* vel *extra* adduntur: II 200 *foras emergant exiliantque*, 951 *foras eiecit*, III 122 *foras editus*, 575 *eiectis extra*, IV 914 *foras eiecta*, 920 *eiectam foras*, IV 548 *foras emittimus*, V 489 *foras elapsa*, VI 583 *foras erumpitur*, 699 *efflare foras*, 888 *foras erumpere* atque etiam *foras* cum substantivo coniunctum: *foras eiectus* IV 957 (cf. p. 51). — Alliterationis deinde studio tribuemus quod invenitur IV 445 *manus* — *subdita supter* et eadem sine dubio valuit ratio ibi ubi poeta verbis *obstare* et *offerre* adiectivum *obvius* adiecit: IV 1142 *obvius obstes*, III 1039 *leto caput optulit ipse* et similiter Vergilius in Aen. XI 498/99 *obvia* — *occurrit* (cf. X 734), X 552 *obvius sese obtulit* cui par est adverbii *obviam* usus nonnullis poetarum scenicorum locis, cf. Plaut. Amphit. III. 4, 2 *qui obviam opsistat mihi*, Ter. Ad. III. 2, 24 *oppido opportune te obtulisti mi obviam* (etiam Caesar abunde dicit in bell. Gall. VII. 28, 1 *si qua ex parte obviam contra veniretur* et Livius IV. 40, 3 (ut) *obviam agmini occurrerent.* — Aliis tamen locis non errabimus poetam non sine consilio atque pondere sententiae praepositionis vim adverbio iterasse arbitrati. Nam

et in verbis v. VI 1047/48 *prius Praecepit* illud *prius* graviter sequenti adiectivo *posterior* oppositum videmus (cui toti loco componas versus libri IV 336—38 simillimos et cum pleonasmi genere compares v. V 737 *praespargens ante*) et in versibus II 204/5 verba *sursum succedere* et *deorsum deducere* cum vi sententiae expressa inter se respondent. Quod ceterum ad verba *deorsum deducere* attinet, quae apud Bernaysium non reperies, Marullum ita codicum lectionem *deorsum ducere*, qua versus una syllaba privatur, simplicius emendasse existimo quam Lachmannum et Bernaysium, nec refutatur illa emendatio Susemihli sententia, qui locis similibus, vs. 190, 202, 247, non de ducendo sed de meando poetam loqui animadvertens *deorsum decedere* legendum esse statuit (in Phil. vol. 24 p. 434), quo etiam ad literas et sonum melius exsisteret contrarium. Sed hoc loco propter verbi pugnandi vim de ducendo potius quam de decedendo cogitandum esse unusquisque facile intelleget. — Nusquam autem evidentior poetae ratio exsistit quam in v. I 67, cuius in fine *contra* positum, quamquam iuxta obsistendi verbum abundat, cum gravitate tamen maxima illi *contra* in fine praecedentis versus collocato respondet neque obscura est eiusdem *contra* in v. IV 1080 verbo *repugnat* abunde adiuncti fortis tamen vis atque significatio; his locis addas Verg. Aen. V 21 *obniti contra,* X 359 *stant obnixa omnia contra,* etiam XII 887 *Aeneas instat contra.* — Vis quaedam sententiae deinde in his quoque videtur inesse: V 1410 *quod adest praesto* (cf. Ter. Eun. V. 8, 20 Heaut. I. 1, 120) ut aliis locis *praesentem adesse* item non sine gravitate dictum invenitur, deinde in verbis *pessum Subsedere* (VI 590), ubi *subsedere* per se apte potest intellegi (Wakefieldus confert Lucan. I 646 *terraene dehiscent subsidentque urbes?*) neque poeta quod dixit *una Consentire* III 168 et 798 sine consilio egit et denique etiam verbis *seorsum secernat* III 635, cf. 498 *divisa seorsum,* IV 87 *singillatim — secreta,* separandi notio fortius enuntiatur. Quod vero Munro etiam in vs. III 263/64 *nil ut secernier unum Possit* verba *secernier unum* inter se coniungit (vertit enim *can by separated by itself*) hic potius *unum* ad *nil* relatum vim huius vocis augere mihi videtur ut II 1077 *res nulla — una* et aliis Ciceronis et Livi locis (de simili Graecorum usu in voce *εἷς* adeas Weiskium in libro de pleonasmo Graeco p. 54). — Latissime autem patet hoc pleonasmi genus in adverbiis *rursus* et *retro,* quae saepissime verbis cum *re* syllaba compositis adiciuntur neque magis offendunt quam cum nos dicimus: wieder zurückkehren et similia alia, quibus res in eum statum vel locum redire significatur unde profecta est. Hac sententia Lucretius

dicit I 57 *rursum resolvat*, I 557 *rursus refici*, II 1001 *rursum — rellatum — receptant*, III 846 *rursum redegerit*, V 86 IV 62 *rursus — referuntur*, VI 871 *rursus — redeunt*, deinde II 130 *retroque repulsa reverti*, II 283 *retro residit*, (cf. Aen. IX 539), II 516 *retroque — remensumst*, V 269 VI 635 *retroque remanat*, IV 910/11 *retroque — repulsanti*, VI 573 *retroque recellit*, denique I 785 *retroque — reverti* ubi Munro vertens *in reverse order* de ordine inverso id dictum intellegit (cf. Ovid. Met. XV 244—51). — *rursus* et *retro* coniuncta sunt IV 308 *retro rursum redit.* Paulo aliter res se habet I 944/45 IV 19/20 *retroque Volgus abhorret ab hac* (sc. ratione) ubi de discessu non de reditu agitur et talibus locis ubi eiusdem actionis iteratio significatur ut in Ovidi Met. III 684 *redeuntque — rursus*, quae respondent verbis *emerguntque iterum.* — Sed hoc pleonasmi genus exemplis aliorum quoque scriptorum satis probatur, quorum ex numero magno nonnulla hic afferre supersedeo, praesertim cum qui plura quaeret in Haasi adnotatione 613 libri ante laudati eos locos ubi viri docti de hac re copiosius egerunt sat multos collatos inveniat.

Iam mihi pauca alia exempla tractanda restant ubi simplici verbo adverbium apponitur ita tamen ut vis eius verbo ipso contineatur. Nonnumquam hoc fit aperto alliterationis studio, ut in v. II 141 *apparet aperte* cui similia nonnulla ex comicis contulit Naekius in dissertatione de alliteratione sermonis Latini (in Mus. Rhen. 1829 p. 324 —418) p. 330, velut *propere properas* Plaut Curc. IV. 3, 3, V. 3, 10, *cursim currere* Pseud. I. 3, 124, *nitide nitet* Truc. II. 4, 3 *cupide cupis* Cas. II. 3, 49 (cf. Ennii Trag. rell. v. 337 *qui cupita cupiens cupienter cupit*), sed neque haec quodam sententiae pondere carent neque quod Lucretius dicit IV 567 *perit frustra* pars vocum, *frustra* sine vi additum videtur, quamquam *perit* ipsum dici certe satis erat; nam in pereundi verbo inest mali eventus significatio. Contra in v. III 940 *rursum quod pereat male et ingratum occidat omne* adverbio *male* causa affertur et sententia haec est: rursum quod pereat mala ratione (h. e. effusione, vide v. 938) et occidat, cum nihil commodi inde tibi effluxerit. Priore autem loco qui Munronem secutus *frustra* non cum verbo *perit* sed cum sequentibus *diffusa per auras* coniunget, quod fieri potest, ita quoque tamen adverbii sententiam post verbum *perit* sat abunde inferri concedet. — Aliquoties deinde adverbium *primum* eis verbis additum reperimus, quae per se ipsa initium indicent, II 612 *primum — coepisse creari*, IV 111 *primum — coeptant — tueri*, V 1012 *primum mollescere coepit* ubi tamen illud *primum* aliquid proprii habet ponderis, quod saepius verbi *coepisse* vim

propriam debilitatam atque deminutam apud Lucretium inveniri iam antea demonstravimus. Sat abunde autem *primum* sententiae additum videtur in vs. V 182 *notities hominum dis unde est insita primum* (cf. 1045) et V 1359/60 *at specimen sationis et insitionis origo Ipsa fuit rerum primum natura creatrix.* — Similis res est in adverbio *saepe*, quod bis cum verbo *solere* coniunctum extat: IV 604 *ignis Saepe solet scintilla suos se spargere in ignis* alliteratione aperta et II 954/55 *fit quoque ut soleant — motus vitalis vincere saepe.* Sed hic quoque animadvertendum est, non prorsus plenam his locis esse abundantiam neque propriam vocis *saepe* significationem (de qua cf. Munronis notam ad v. V 1231) plane perire, cum verbum *solere* et hic et multis aliis locis ita positum videatur, ut latiore elocutionis circuitu nihil nisi simplicis verbi vis exprimatur; cf. I 165, 458, 1037, II 147, 221, 406, III 118, 621, 678, 697, 746, 790, IV 258, V 62, 899, 1058, VI 488, 813/14. Ceterum similia non solum apud comicos in sermone vulgari sed etiam in prosa oratione inveniuntur similiter accipienda; cf. Caes. bell. civ. III. 32, 5 *quod in bello plerumque accidere consuevit,* III. 37, 5; 47, 3 *fere consuerant,* Quintil. IX. 2, 8 *ut vulgo uti solemus,* Cic. de rep. VI. 10, 10, Lael. 8, 26 *saepissime mihi — illud considerandum videri solet,* or. de imp. Gn. Pompei 9, 24, de invent. I. 29, 46, atque adeo *fere plerumque solere* apud Terentium in Phorm. I. 2, 39/40.

Quae quidem quaestio cum postremo in adverbio *saepe* versata sit, occasione data alium eiusdem adverbii usum commemorare mihi liceat, ubi in eadem enuntiatione adverbium *saepe* et adiectivum *multus* ponuntur ita ut *saepe,* quamquam sententia eius non desideratur, tamen multitudinis significationem quodam modo augere videatur. Sic non solum Plautus locutus est velut in Capt. V. 4, 1 *Vidi ego multa saepe picta quae Acherunti fierent Cruciamenta,* ibid. II. 2, 78 *odi ego aurum: multa multis saepe suasit perperam,* cf. Cas. II. 5, 41, Mil. Glor. III. 3, 12, Poen. I. 1, 1, in verborum indicibus allata sed etiam Lucilius in Satur. vs. 568/69 *ut Romanus populus victus vi et superatus proeliis Saepe est multis, bello vero numquam, in quo sunt omnia,* Cicero in libro de officiis I, cap. 22, 74 *multi — bella saepe quaesiverunt* cf. II. 6, 20, Lael. 1, 2, Caesar in bell. Gall. IV 3 *Suebi multis saepe bellis experti* atque aliis locis *saepe* et *multum* etiam coniuncta videmus ut apud Ciceronem de Invent. I 1 *saepe et multum hoc mecum cogitavi,* or. pro Quinct. 1, 3 *homo — in hac* (causa) *multum ac saepe versatus.* (Similiter Graeci *πολύς* et *πολλάκις* componunt de quo videas Schneideri adnotationem ad Isocratis Areopag.

p. 155 a.) Haec exposui, quia apte viam nobis aperiunt ad nonnulla exempla Lucretiana, in quibus similis orationis ratio nobis ocurrit. Huc enim refero, quod a poeta tribus locis adiectivis *assiduus, perpetuus, aeternus* in eodem enuntiato adverbium *semper* additur: I 995 *semper in assiduo motu res quaeque geruntur,* III 13 *perpetua semper dignissima vita,* V 325 *semperque aeterna fuere.* Nam his quoque locis quamquam fit quaedam orationis ubertas, cum adverbio omisso in argumento sententiae nihil desideretur, illud *semper* tamen ita non inutile est orationis additamentum, ut sine dubio continuitatis non intermissae tenor gravius efferatur. Neque hic est usus Lucreti proprius sed et Graeci adverbio ἀεί eodem saepe effectu utuntur et apud Latini sermonis scriptores similia occurrunt non solum apud poetas (cf. Catull. 63, 90, Ovid. Fast. 4, 686, Met. I 565) sed etiam in prosa oratione (cf. Cic. or. pro Rosc. Am. 18, 51 *cum ruri assiduus semper vixerit*). — Pertinet autem id quod significavi genus dicendi etiam ad talia exempla: IV 1108 *parva fit ardoris violenti pausa parumper,* IV 1154 *tota merum sal,* IV 1033 *ex homine humanum semen ciet una hominis vis,* VI 1162 *corporis in summo summam fervescere partem* et ad crebros illos locos ubi ut in vs. III 218 (anima) *omnis ubi e toto iam corpore cessit,* I 984 *spatium summai totius omne,* II 274 *materiem totius corporis omnem,* VI 679 *nil sint ad summam summai totius omne* quos exempli causa affero, adiectiva *omnis* et *totus* non sine rhetorica vi posita alterum altero adiuvantur (cf. etiam I 810/11 *vita — omnis Omnibus e nervis atque ossibus exsoluatur*), quibus comparare poterimus II 520 *ancipiti quoniam mucroni utrimque notantur,* IV 168 *undique uti tenebras omnis Acherunta rearis Liquisse,* VI 522 *omni vulgo de parte feruntur,* V 597/98 *ex omni mundo — Undique* cf. Caes. b. Gall. I 39 *volgo totis castris testamenta obsignabantur,* quae omnia quamquam cum ubertate quadam orationis dicta tamen distinguenda sunt ab illo meri pleonasmi genere, quo nihil sententiae ponderis efficitur. — Quandoquidem iam quaestionis cursu ad hunc novum adverbiorum et adiectivorum usum abundantem deflexi, hic denique unum locum mihi liceat adicere, ubi item rhetorici cuiusdam studii vestigia deprehendere mihi videor, versus I 969/70 *si quis procurrat ad oras Ultimus extremas iaciatque volatile telum,* in quibus illud *ultimus* Bentleium adeo offendit, ut *nuncium* poetae inculcare mallet, qui sane graviter claudicat, Bockemuellerum autem induxit, ut verba *si quis ultimus* cohaerere arbitratus non belle ea ita intellegeret: *si quis incola ultimae orae.* Multo aptius Munro adiectivum *ultimus* cum prolepsi dictum sic interpretatur: *ad extremas oras pro-*

currat ita ut in ultimo margine consistat. Sed ita quoque apparet adiectivo nihil addi, quod ipsis reliquis verbis non dilucide exprimatur, et poetam non tam sententiae necessitate coactum quam lepidi cuiusdam lusus verborum causa illud *ultimus* adiecisse profecto non sine consilio rhetorico simul atque pondere aperto.

Iam vero ad rem propositam revertamur; illos enim locos tractare coeperam, ubi verbum vocis cuiusdam appositae sententiam ipsum complectebatur ita ut illa praeter sententiae necessitatem cum eo coniuncta videretur. In qua re cum nominum, adiectivorum, adverbiorum ordinem confecerim exemplis allatis causisque ubertatis quae mihi videbantur extare expositis, restat ut de paucis eis locis verba faciam, in quibus gerundii ablativo adiecto similis ubertatis species paratur. In hoc genere est quod poeta in v. I 202 dicit *multaque vivendo vitalia vincere saecla;* nam vivendi voce in hac aperta verborum sententia nullo modo opus erat. Sed hoc quidem loco certe multum alliterationis studio tribuendum erit (cui literarum similitudini apte comparabis v. IV 1202 *femina vim vicit subita vi corripuitque* et Ciceronis verba in or. pro Milone 11, 30 *vi victa vis*) itemque in v. III 946 *omnia si pergas vivendo vincere saecla;* eadem placuere etiam Vergilio in Aen. XI 160 *contra ego vivendo vici mea fata,* quamquam et hic praetermissa alliteratione sed eadem sententia in Georg. II 295 dixit *multa virum volvens durando saecula vincit* et Lucretius ipse III 1088 *proinde licet quotvis vivendo condere saecla.* Idem Lucretius alterum et apertum huius rationis exemplum proposuit nobis in v. V 847 *ut propagando possint procudere saecla;* nam *procudere* est *gignere* ut II 1115 *ignem ignes procudunt* et III 1079 *nec nova vivendo procuditur ulla voluptas* (semel tantum propria vi usus est poeta in v. V 1263), nec diversa videtur verborum sententia in v. II 1146) *omnia debet enim cibus integrare novando* sed et his locis et in vs. V 593/94 *quod maria ac terras omnis caelumque rigando Compleat* varia imagine lepida eiusdem rei duplex significatio. His quae attuli simillimum est illud *in remorando haesitat* in vs. VI 333/34 *non igitur multis offensibus in remorando Haesitat;* nam ne inter haec quidem verba multum discriminis interesse reperietur et eadem est abundantia quasi poeta dixerit *remoratur et haesitat* ut Munro explicat, qui recte in gerundii forma vim participii praesentis inesse animadvertit et pluribus eiusdem generis exemplis hoc satis confirmat. Sed ne illa quidem quae antea attuli simplicis ablativi gerundii exempla aliter sunt iudicanda et dilucidior haec ratio fit nonnullis locis, ubi in simili verborum sententia gerundii ablativum et participium prae-

sentis eadem fere vi mutari videmus velut in v. III 780 *ut quae prima volans advenerit* (ubi nos dicimus 'herangeflogen kommt' cf. Aen. VI 191 *columbae — venere volantes*) et VI 87, 383 *unde volans ignis pervenerit* collatis versibus VI 451/52 *ubi corpora multa volando Hoc supero in caeli spatio coiëre repente* (h. e. *in unum locum convolavere*) et comparari poterit illud *rigando compleat* cum verbis v. II 148 *convestire sua perfundens omnia luce.* Ex his igitur gerundium participii praesentis locum obtinere cognoscimus, nisi quod gerundium, cum rarior sit eius usus et poetarum proprius, elegantioris sane et vere poeticae elocutionis speciem praebet, quo eodem poeta opportune eis locis uti poterat, ubi participii praesentis usus metri difficultate impediebatur.

CAPUT QUINTUM.

Hac quaestione progrediente ad participii rationem deducti sumus, cuius usus abundans maxime mihi dignus videtur quem diligenter observemus et accurate tractemus. Sunt enim hic multa quae viros doctos offenderint et quae offendere possint, nisi tota illius usus ratione accurate exposita et plena eius imagine oculis subiecta refutantur. Latissime autem patet hic usus apud ipsum Lucretium atque exemplis ita illustratur et probatur, ut ex huius poetae scriptis qualis ille sit et quam varius satis cognosci et perspici possit. Iam explicaturus illius participii verbo finito abunde appositi rationem — nam de hoc scilicet pleonasmo maxime agitur — a participii praesentis exemplis incipiam, e quibus nobis manifesto ostendit rationem v. II 318 ubi poeta oves reptare dicit *quo quamque vocantes Invitant herbae gemmantes rore recenti.* Hoc loco participium nihil aut novi momenti sententiae aut denique ponderis afferre apparet nec quicquam desideraretur, si *vocant* vel *invitant* solum poeta scripsisset, nisi quod etiam ut in v. V 524 verba illa plane synonyma coniungere potuit, scilicet non ea quam Bockemuellerus adhibuit ratione, qui *vocant et invitant* poetam scripsisse ratus particulam *et* male in fine hexametri posuit. Sed certe haec tota participii ratio in poeta non offendit et participium in exitu versus positum ad verbum *invitant* in initio sequentis versus collocatum lepide nos transducit, quam rationem par versuum artius copulandi antea iam attigi. Nos quidem in hoc et similibus locis vertendis nisi poetam poetarum more imitari velimus commodius simplici verbo utemur, dummodo quae lateant in verbis Latinis artis poeticae vestigia ne obliviscamur. — Alterum eiusdem generis exemplum extat in v. I 121, quod nollem Lachmannus coniectura dele-

visset, quamquam dubito, num viri docti qui Lucretio suum restituerunt, de sententia recte iudicaverint. In illa enim prooemii parte, ubi Lucretius Ennium non tam philosophum quam poetam summis laudibus effert, (I 117—126) Lachmannus in v. 121 lectionem codicum *Ennius aeternis exponit versibus edens* mutavit in *Ennius — idem,* non quod in ipso participio offenderet sed quia minus Ennii ipsius nomen iterum positum quam pronomen exspectabat, quo vinculo versus 120 etqs. cum superioribus iungerentur. Quae tamen nominis iteratio si nullam habet vim rhetoricam, at certe ne incuriae quidem dicendi tribuenda erit sed simplici narrationi convenit eoque magis excusatur quod quattuor versibus interiectis nomen repetitur. Sunt enim apud alios scriptores eiusdem generis alia brevi intervallo iterum posita[1]) quae, quamvis nostrum sensum offendant, tamen propterea corrigere non cauti esset iudicii. Ut igitur ab illorum partibus sto qui codicum lectionem servarunt, ita eis vix assentior qui haec inter se coniuncta *aeternis versibus edens* verbo exponunt addita esse existimant, sed si quid recte sentio, haec omnia *aeternis exponit versibus edens* ad unam sententiam comprehendenda esse et verborum collocatio et simplicitas sententiae ostendere videntur, quam poeta, si concisius loqui voluisset, verbis *aeternis versibus exponit* vel *a. v. edit* solis enuntiare potuit. *Edere* enim exponendi significatione etiam IV 178, 906 *multis versibus edam* adhibitum invenimus et conferre licebit Hor. Sat. II. 5, 61 et Cic. de Legg. III. 20, 47 *apud eosdem, qui magistratu abierint, edant et exponant, quid in magistratu gesserint.* Participium autem quamquam nullum addit sententiae pondus, tamen is non inepte positum esse intelleget qui considerabit quod simili verborum collocatione compositum est VI 334 (fulmen) *celeri volat impete labens*, quae verba nemo sic poterit intellegere: *volat, celeri impete labens* (cf. I 1004 ubi item labendi verbum de celeri fulminum cursu dictum est et VI 324, 328) et sunt praeterea alia, quae huc manifesto pertinent: VI 516 *cera tabescens multa liquescat.* Interest sane aliquid inter haec duo verba et aliud significat Vergili versus in Eclog. 8 v. 79/80 *cera liquescit Uno eodemque igni* (quo limus durescit) aliud Ovidius, cum de cera Icari pennarum vinculo dicat in Met. VIII 227 *tabuerant cerae*; nam illo loco quae dura est cera liquida fit, hoc quae antea cera fuerat tum sole mollis facta evanuit. Simul autem apparet idem fere illis verbis effici et quod

---

[1]) In hac re magna cum utilitate leges quae de Livi elocutione Vahlenus ea qua assolet doctrinae elegantia observavit in indice lectionum a. 1876/77 p. 5/6.

Lucretius ea hic coniungat, apertam exsistere orationis abundantiam. Eadem deinde res est in v. IV 673 *unde fluens volvat varius se fluctus odorum* et IV 285 *alium prae se propellens aëra volvit* ubi manifestum est poeticae alliterationis studium, neque aliter sentio de verbis versus IV 1027 *qui ciet inritans loca turgida semine multo,* cum postea quoque 1036/38 *ciere* et *inritare* ut synonyma inter se mutentur, et de versibus II 194/95 *quod genus e* (sic recte scribit Munro) *nostro cum missus corpore sanguis Emicat exultans alte spargitque cruorem,* ubi verba *exultans alte,* in quibus argumentationis vis posita est, qui praecedenti *emicat* additamenti instar adiecta opinatur vim orationis infringere mihi videtur. Equidem existimo verba *emicat exultans alte* a poeta fortius et lepidius pro simplici *alte exultat* posita nullo modo segregari debere. Praeterea hic proferri potest v. IV 1116 *aegrotat fama vacillans,* ubi duplici translatione eadem res notatur, itemque in v. III 1050 *atque animi incerto fluitans errore vagaris,* nisi fallor, duobus verbis eandem fere sententiam poeta exprimere voluit; *fluitare* enim saepius de incerto navis motu dicitur, quae rectore carens ventorum et undarum arbitrio in mari fertur, cf. Verg. Aen. V 867 a Wakefieldo apte collatum *cum pater amisso fluitantem errare magistro* (navem) *Sensit* et Cic. or. pro Sestio 20, 46 *cum vero in hanc reipublicae navem ereptis senatui gubernaculis fluitantem in alto tempestatibus seditionum ac discordiarum* etqs. Itaque et *incerto animi errore fluitare* aptum erat (cf. IV 1069 *fluctuat incertis erroribus ardor amantum*) et *incerto animi errore vagari* per se idem enuntiabat. Wakefieldus comparat Cic. de offic. II. 2, 7 *quorum vagetur animus errore nec habeat umquam quid sequatur*, cui adicias de orat. III. 49, 190 *ne fluat oratio, ne vagetur.* Bis autem eadem re expressa inconstantiam hominis illius acrius et luculentius illustrari liquet ita ut in v. VI 141 (ventus) *arbusta evolvens radicibus haurit ab imis* vis venti augetur et duplicatur duplici adhibita rei significatione. Hauriendi enim verbo audaci metaphora item atque evolvendo arbores tempestate eversae significantur nec sine fructu huic loco comparabis versum Ovidi in Met. XI 186/87 (Midae servus humum) *effodit et domini quales adspexerit aures Voce refert parva terraeque inmurmurat haustae* h. e. *effossae* et XIII 425/26 (Hecuba) *tamen unius hausit Inque sinu cineres secum tulit Hectoris haustos.* — In illis igitur exemplis cum participium verbo finito adiunctum iure possit putari, his duobus locis V 76/77 et V 107 *solis cursus lunaeque meatus Expediam qua vi flectat natura gubernans* et *quod — a nobis flectat fortuna gubernans,* participium non tam verbo addendum quam

nomini tribuendum erit ita ut adiectivi instar hoc significet: *natura* (*fortuna*) *quae omnia gubernat,* pariterque iudicabimus de verbis versuum 1238/39 libri VI *poenibat* (eos) — *turpi morte malaque — incuria mactans.* — Postremo hic afferatur v. VI 797 *multaque praeterea languentia membra — Solvunt,* ubi quae vis participio praesentis nomini apposito significatur, eadem rhetorico consilio quasi instauratur verbo finito et simillimus est huic locus Vergilianus ille in Aen. III 237 *scuta latentia condunt.* Ceterum totus hic uberior participii usus rhetoricae artis studium valde mihi videtur resipere, quae alliteratione saepius adiuvatur, et maxime nimirum conveniebat poetae, qui aut rei fortius expressae specie aut elegantioris elocutionis ornatu legentium animos delectaret.

Ut autem vidimus verba synonyma nonnumquam ita coniungi, ut alterum pondere sententiae inferius sit, sic non mirabimur participium quoque abunde additum interdum parem habere significationem atque verbum finitum sed illam minus graviter expressam ita ut iure nos eo carere posse arbitreris. Tales velim conferas locos, I 438 (inane nullam) *rem prohibere queat per se transire meantem* ubi Bockemuellerum, cum participium cum nomine *rem* coniungat, nullam meliorem sententiam efficere apparet, aut v. V 523 *aër Versat agens ignis* (h. e. *stellas*) et IV 899 (ventus) *trudit agens magnam magno molimine navem,* in quibus participium *agens* iuxta verba per se celerem et violentum motum indicantia non longe alia ratione positum videtur quam qua poetam in v. IV 279 *protrudit agitque* et in v. 888 *protruditur atque movetur* fortiori verbo debile adiunxisse videmus. Nam his quoque locis duplici verbo, licet alterum minus grave sit, tamen motus ille luculentius depingitur et simile sentimus in eis quae poeta dixit in v. VI 464 (nubila) *venti Portantes cogunt ad summa cacumina montis* et in v. VI 211/12 *hasce igitur cum ventus agens contrusit in unum Compressitque locum cogens* mira verborum in re simplici cumulatione sed eadem vim venti nubes undique comportantis belle oculis subiciente.

Aliis locis maior vis sententiae non tam in verbo finito quam in ipso participio inesse videatur ita ut in simpliciore oratione illo fortasse malis quam hoc carere. Velut quod poeta dixit solem mane solere *convestire sua perfundens omnia luce* II 148, duplici imagine sine dubio maiore oratio nitet splendore, sed expressam elocutionis vim in participio potius quam in infinitivo positam esse sentimus. Similis res est fortasse etiam in vs. I 278/79 ubi poeta vim ventorum graviter describit, *quae* (sc. ventorum corpora) *mare, quae*

terras, quae denique nubila eaeli Verrunt ae subito vexantia turbine raptant. Si enim vera sunt quae de propria vexandi verbi sententia Gellius disputat in altero Noctium Attic. libro, cap. 6, §§ 5, 6 vexandi vis non solum raptandi senteutiam aequat sed etiam verbum gravius et significantius est, quo eadem vi etiam Ovidius utitur in Met. XI 435 (venti) *caeli quoque nubila vexant.* — Restat hic unus locus, vs. V 737/38, ubi suavi descriptione haec legimus:

Flora quibus mater praespargens ante viai
Cuncta coloribus egregiis et odoribus opplet,

pro quibus, cum discesseris a poeta, rectius scripta exspectaveris: *praespargit* ante viai c. c. e. et o. opplet. Nam colores potius cum spargendi notione convenire, opplendi verbum ad odores quadrare videtur. Sic vero ut verba scripta legimus, aut participio aut verbo ipso opus non fuit. Sed qui et quam multi sint quibus Flora viam praespargit virorum doctorum sententiae discrepant. Codices enim, qui primi consulendi sunt, hanc praebent lectionem:

It ver et venus, et veneris prenuntius ante
Pennatus graditur zephyri vestigia propter

in quibus, si sensus aliquid valet, verissima mihi videtur Marulli coniectura, qui genetivum *zephyri* in nominativum mutavit; nam zephyrum ut veris et Veneris comitem non obiecti locum obtinere et obiter quasi commemorari sed gravius significari et ipsum quoque subiecti locum tenere opus esse comparatio cum eis quae sequuntur (739—43) luculenter demonstrat. Contra vereor ne Lachmannus non merito probaverit quod Bentleius dubitanter proposuerat *et veris praenuntius* scribendum esse atque in hac quidem re cum Munrone consentio, Veneris praenuntius et quis sit facile intellegi posse et bene eum commemorari ea quae licet poetae et decet in pangendo libertate. Profecto enim is qui ipsum Cupidinem hoc loco nominatum eo reprehendit, quod Veneris non veris initium indicet, vim affert poetae cuius ingenium talibus sententiae angustiis non continetur. Quae si vera sunt, quomodo nunc quidem verba inter se iungenda sint cum quaeratur, haec ratio optima mihi videtur, ut commate et post adiectivum *pennatus* et in fine versus 736 posito talis exsistat versuum conformatio:

It ver et Venus et Veneris praenuntius ante
Pennatus, graditur zephyrus vestigia propter,
Flora quibus mater etqs.

Sententia igitur haec est: it ver et Venus et ante eam Cupido, pone

subsequitur zephyrus; his Flora vias floribus praespargit et odoribus opplet. Ita adverbium *ante* in v. 736 respondere apparet verbis *vestigia propter* quorum sententia, si Florae tribuuntur, vix mihi verbis *praespargens ante* accommodari posse videtur.

Cum hoc participii genere alterum coniungo, quo illi loci contineantur, ubi praesenti verbi intransitivi statum condicionemque significantis participium perfecti passivi verbi transitivi adicitur ita ut participii significatio cum verbi ipsius sententia plane congruat. Velut quod in prooemio libri I v. 29/30 poeta Venerem hac prece adit: *effice ut — moenera militiai — sopita quiescant,* hanc quam verbis coniunctis effert sententiam (*sopita quiescant*), eandem simplici verbo *sopita sint* vel *quiescant* non minus recte exprimere potuit; nam *sopitum esse* idem valet quod *quiescere.* Sed duobus verbis in unum quasi confusis petitam quandam sententiae efficit gravitatem, quasi dixerit *alto sopore quiescant;* et quae verba hic translata composuit poeta, eisdem propriis usus est in v. III 918 *cum pariter mens et corpus sopita quiescunt* item atque Ovidius de Thetide dormitura dicit in Met. XI 251 *cum gelido sopita quiescet in antro.* — Neque aliter in vs. I 26/27 *quem tu, dea, tempore in omni Omnibus ornatum voluisti excellere rebus* pro Memmi gravitate versum quoque participio apposito graviter fluentem apte poeta conformavit, ut IV 959 *et quo quisque fere studio devinctus adhaeret* duplici imagine hominem acriorem et studiis suis magis implicitum depinxit quam si simpliciter dixisset *quo studio devinctus est* vel *cui studio adhaeret.* — Minus ponderis quam his locis participio fortasse effici dices in vs. I 343/44 *non tam sollicito motu privata carerent, Quam genita omnino nulla ratione fuissent;* nam primaria enuntiationis pars nihil videtur continere, quod poetae simplici carendi verbo efferre non licuerit. Sed si quis in hac quasi dicendi molestia poetam ita defendat, ut non omnia superbioris iudicii morositate pensitanda esse moneat, is male servit Lucretio et excusando accusat poetam; nam haec quoque potius deliberantem quam neglegentem poetam ostendunt, qui orationem ornare et excolere omnibus modis studet neque talia ut numerus expleatur futiliter componit sed his deliciis rhetoricis sententiam amplificat versumque exornat. Nec sunt ea quae attuli sola exempla sed inveniuntur eiusdem generis alia velut in v. I 423 *cui* (communi sensui) *nisi prima fides fundata valebit* quae recte Bockemuellerus interpretatur; sunt enim sic intellegenda: wenn diesem nicht die prima fides gesichert ist. Munro sine causa difficultates parat, cum dativum *cui* nomini *fides* attribuit, quod exemplis probat non

probe allatis. Deinde affero ex libro secundo v. 506 *carmina consimili ratione oppressa silerent*, 801/2 *pluma columbarum — Quae sita cervices circum collumque coronat* h. e. *quae circum cervices collumque sita has partes coronat*, ex libro IV v. 287 (imago) *distare ab speculo tantum semota videtur*, 438 *quae demersa liquorem obeunt*, ex libro VI vs. 1007/8 *nec res ulla magis primoribus ex elementis Indupedita suis arte conexa cohaeret.* Itaque etiam in v. V 612 Bernaysi coniectura *nec ratio solis simplex reclusa patescit*, paulo melior quam Lachmanni, participio nihil habet offensionis (inversa est verborum ratio in v. III 30 *quod natura — Tam manifesta patens ex omni parte retecta est*) neque in vs. II 17—19 verba *seiunctus dolor absit* temptanda sunt, quamquam de eis quae praecedunt et sequuntur viri docti non omnes idem sentiunt.

Ab hoc participii perfecti usu abundanti alter quidam clare distinguitur quem, si Graeco vocabulo uti licet, προληπτικόν appellem. Hunc ibi extare censeo, ubi participium perfecti passivi verbo finito appositum aliquid iam factum indicat quod agitur ipso verbo finito. Cuius usus exempla, quae sat multa apud Lucretium inveniuntur, cum neque explicationis neque lectionis difficultatem magnam praebeant, primum hic enumerabo, librorum ordinem secutus. In libro I extant: in v. 218 *ex oculis res quaeque repente erepta periret;* simplicius enim aut *ex oculis periret* dicere poterat ut in v. 856 aut *ex oculis eriperetur* ut Vergilius in Aen. I 88 *eripiunt subito nubes caelumque diemque Teucrorum ex oculis;* deinde in v. 942 (IV 17) *recreata valescat* et quod saepius occurrit *nam quodcumque suis mutatum finibus exit* I 670, 792, II 753, III 517; *mutari* enim idem simpliciter significat quod verbis *suis finibus exire* poetica translatione exprimitur, quae cum pulchritudini serviat, illud perspicuitatem videtur adiuvare. Porro e libro II affero *tum porro quaecumque igni flammata cremantur* in v. 673 et quae in fine versuum inter se manifesto respondent *numquam in concilium ut possint compulsa coire Nec remorari in concilio nec crescere adaucta* in vs. 563/64 (cf. II 1160 *quae nunc vix nostro grandescunt aucta labore*, V 260 *ergo terra tibi libatur et aucta recrescit*) ubi Purmannus respiciens ad v. II 1122 plane contra necessitatem *adauctu* scribi vult (in Fleckeiseni Annalibus 1877 p. 275 fin.). — Praeter illud *compulsa coire* autem etiam in v. II 130 verba *repulsa reverti* eandem et alliterationis et ubertatis speciem prae se ferunt quam in his quoque ceterorum librorum locis facile deprehendemus: VI 734 *ad altos — montes Contrusae nubes coguntur*, IV 915 (somnus fit, ubi anima) *partim contrusa magis*

concessit in altum, cui in versu priore respondet *partimque foras eiecta recessit*, V 1096 *exprimitur validis extritus viribus ignis*, IV 1034 *quod simul atque suis eiectum sedibus exit*, VI 496 (quo pacto pluvius umor) *in terras demissus ut imber Decidat*, *expediam*, deinde VI 122/23 (moenia mundi videntur) *divolsa repente — dissiluisse*, III 475 *in venas discessit diditus ardor*, III 636/37 (anima) *dispertita — Et discissa simul cum corpore dissicietur*, item III 700/1 *dispertitus — cibus in membra atque artus cum diditur*, si commate post vocem *cibus* deleto simplicius versus 700 et 701 in unam sententiam redigimus, denique V 1198 *nec procumbere humi prostratum et pandere palmas*. — His exemplis accedit e libro tertio *conflatur — accensus — sensus* III 336, ubi animum advertamus ad soni similitudinem in verbis *accensus* et *sensus* sine dubio quaesitam, et quae tali orationis ornatu carent: III 698 (anima) *cum corpore fusa* (h. e. *exhalata* cf. III 1031) *peribit*, III 715 *sin ita* (anima) *sinceris membris ablata profugit* eademque sententia III 439 *cum semel ex hominis membris ablata recessit* quibuscum conferas V 413 *inde ubi vis aliqua ratione aversa recessit*, deinde III 188 *momine uti parvo possint impulsa moveri*, nisi hic ut II 136 *ictibus illorum caecis impulsa cientur* et II 272 *impulsi procedimus ictu* participium *impulsus* non de motu sed de ictu accipere mavis sententia poetis haud incognita. In libro IV extant: (simulacra) *in cunctas iaciuntur didita partis* in v. 238, deinde *quae confiunt ex horum facta figuris* 736, *introrsum pars abdita cedat* 942 h. e. *abdatur et cedat* cf. v. 1235 (semen) *revocatum cedit abortu*. Restant e libro VI *quae conlata foris, et commoda, cumque venirent* in v. 19, quae sententia simplicius sic enuntiaretur: *quaecumque commoda foris convenirent*, VI 667 *unde repente queat tellus concussa moveri*, postremo VI 732/33 (nubes) *ad mediam regionem eiecta* (in versu priore dixit *coniciunt*) *cum convenerunt*.

Cum his exemplis ea aperte coniungenda sunt, ubi participium non perfecti passivi sed verbi deponentis invenitur. Nam re ipsa tales loci non differunt: II 549 *unde ubi qua vi et quo pacto congressa coibunt* et sine alliteratione IV 142 (simulacra) *fluant ab rebus lapsaque cedant*, VI 1005 (primordia) *in vacuum prolapsa cadunt* neque alia res est I 5 *visitque exortum lumina solis*, cum *lumina solis visere* nascendi significationem lepida et valde poetica imagine exprimere versus II 577 satis declaret, I 187 (e terra) *exorta repente arbusta salirent*, II 792/93 *proclivius exorientur Candida de nullo quam nigro nata colore*, VI 1098 (vis morborum pestilitasque) *saepe*

coortae De terra surgunt. Itaque si nihil aliud, orationis abundantia non impediet, quo minus etiam in v. VI 909 lectionem codicum *Magnetum quia fit patriis in finibus ortus*, in qua Lachmannus *ortu* correxerat, cum Munrone aliisque viris doctis integram servemus. — Restat ut nonnulla dicam de versu 92 libri primi *muta metu terram genibus submissa petebat.* Iphigenia, quae metu loqui et precibus uti nequeat, genibus flexis misericordiam sacerdotum commovet. *Submitti* igitur et *terram petere* utrumque de supplici dictum et participium *submissa* cum prolepsi positum esse apparet. Quod vero interpretes ablativum *genibus* cum participio solo coniungunt, et sententia clarior exsistit illo *genibus* ad utrumque verbum relato et recte hoc fieri docet comparatio versus simillimi V 1329 *pedibus ventos erecta petebant* (iumenta).

Sed in omnibus his exemplis participium verbo intransitivo aut passivo appositum ad subiectum scilicet revocandum erat. Sunt autem alii eiusdem orationis ubertatis loci, in quibus activo verbi transitivi additum ad obiectum enuntiati pertinet. Hoc fit dilucide et in his libri alterius versibus: II 412/13 (mele) *per chordas organici quae — expergefacta figurant*, II 561 (primordia) *debebunt sparsa — disiectare aestus diversi materiai* et sunt in ceteris libris rationis illius nonnulla et certa exempla: VI 212 (nubes) *expressa profundunt Semina* h. e. *exprimunt et profundunt*, VI 627/28 *docui multum — tollere nubes umorem — conceptum ex aequore ponti*, item in libr. V v. 1048 *victosque domare* et in eiusdem libri versu 693 *loca caeli Omnia dispositis signis ornata notarunt* ubi similitudo quaedam soni in verbis *ornata* et *notarunt* fortasse recte animadvertetur. Eminet autem alliterationis illud studium in verbis v. IV 297 *elisam — sese exprimat* neque minus in v. VI 53 *depressosque* (animos) *premunt ad terram*, ubi verborum societate poeta rem ipsam sine dubio efficacius depingit et soni similitudine versus ornatior fit. Ceterum illud bene Munro hic animadvertit non solum formarum varietate tautologiam minus duram esse sed etiam vim tralaticiam in participio, in verbo finito propriam sententiam magis eminere. Tamen aliis haec verborum consociatio nimis quaesita iure videbitur et Wakefieldus talia in vetustioribus poetis ferenda potius atque condonanda quam laudanda et imitanda esse censet. Denique apparet hanc quoque totam participii proleptici rationem quaesito potius et ornato quam simplici et puro dicendi generi convenire atque poeticam et rhetoricam elocutionem optime decere. Itaque non est mirum, poetas maxime hunc usum arripuisse neque solum apud Lucretium sed etiam

apud ceteros poetas, quo quisque dicendi elegantiae magis studebat, tales orationis delicias sat multas inveniri. Pauca hic afferam, quibus Lucretiana illa exempla augeantur et illustrentur atque incipiam a Ciceronianae poeseos specimine quodam ex Tusculanarum disputationum libro altero, ubi Cicero in capite octavo et nono Sophoclis Trachiniarum partem inde a versu 1046 usque ad versum 1102 senariis Latinis ipse reddidit, quorum in secundo, cum poeta Graecus simplici aoristo *μοχθήσας* usus esset, Cicero duobus verbis *quae exanclata pertuli* malorum acerbitatem vi graviore auxit inculcavitque et postea in versu decimo non unum verbum *absumptum est* vel *extabuit* ponere satis habuit sed altero atque altero posito totum Herculis corpus quasi prorsus exhaustum graviter depinxit, neque hanc rationem Ciceroni placuissse mirabimur, cuius animus quam propensus fuerit ad tales artes rhetoricas nemo nescit. Similem autem sententiae gravitatem cum alliteratione coniunctam invenimus etiam apud Terentium in v. 11 prologi Adelphorum *verbum de verbo expressum extulit*, quocum compares Ciceronis verba in Tusc. III. 19, 44 *quae expressa ad verbum dixi.* Sed de his quos attuli Ciceronis et Terenti locis occasione data acute egit Vahlenus vir clarissimus in disputatione de nonnullis veterum poetarum Romanorum versibus (in ind. lect. 1879/80 p. 7/8) ex qua illa aptissime ad hanc quaestionem pertinentia deprompsi. Iam aliis locis cum factum participio indicatur quod verbo finito efficitur, hoc participii usu etiam celeritatis aut subitae actionis gravem significationem contineri posse apparet, saepe tamen vix aliud quicquam ibi quam poetici coloris et elegantiae cuiusdam faciem formamque deprehendes. Eis quae iam protuli exemplis addas ex Ciceronis libro de republica altero, cap. 5, 10 *res — invectas acciperet ex terra*, ex Ovidi Metam. VIII 718 *o coniunx, dixere simul, simul abdita texit Ora frutex*, III 76 *vitiatas inficit auras*, IV 802 *attonitos — terreat hostes*, XI 215 *capit superatae moenia Troiae*, XI 43 *in ventos anima exhalata recessit*, ex Tibullo I. 8, 14 *ansaque conpressos colligit arta pedes*, I. 6, 67/68 *vitta ligatos Impediat crines*, ex Vergili Aeneide I 69 *submersasque obrue puppis*, III 267 *excussosque iubet laxare rudentis*, III 388 *tu condita* (signa) *mente teneto* quocum compares Catull. c. 64, 208 *oblito dimisit pectore cuncta.*

Sed haec hactenus. Conficiat hanc partem totumque hoc opusculum, ut participii abundantis imago omni ex parte exprimatur, duplicis usus commemoratio, quo participium non verbi finiti sententiam item continet sed e verborum conexu abundat. Hoc ibi primum fit

ubi verbum praecedens ita repetitur, ut participium eiusdem verbi in enuntiatione sequenti iterum ponatur, quod participii repetiti nomine breviter appellare mihi liceat. Latissime patet hic usus in participio perfecti passivi aut nominativi casu aut obiecti loco iterati; vide versus II 566 *et res progigni et genitas procrescere posse,* V 729/31 *cur nequeat semper nova luna creari — Inque dies privos aborisci quaeque creata*, ita quoque ut participium in enuntiato pendenti repetatur II 266/67 *omnis enim, totum per corpus, materiai Copia conciri debet, concita per artus Omnis ut studium mentis conixa sequatur*; deinde I 227/28 *unde animale genus — Redducit Venus*, *aut redductum — tellus Unde alit* et II 63 (primordia) *res varias gignant genitasque resolvant,* quibus ei loci adnumerandi sunt, ubi non eiusdem sed synonymi verbi participium repetitum extat: V 429 *tandem conveniant ea quae convecta repente Magnarum rerum fiunt exordia,* I 265/66 *res — non posse creari De nilo neque item genitas ad nil revocari* (cf. I 544 *docui nil posse creari De nilo neque quod genitum est ad nil revocari*) IV 1119/20 *teriturque — vestis — et Veneris sudorem exercita potat,* denique, quamquam id paulo aliter formatum esse apparet, III 616/17 *si non certa loca ad nascendum reddita cuique Sunt, et ubi quicquid possit durare creatum.* De hoc usu nonnulla exposuit Haasius in nota 585 libri ante laudati et recte ille monuit hunc usum, qui multus est apud Graecos et Latinos scriptores, artis cuiusdam rhetoricae studio tribuendum esse, atque maxime in pedestri sermone scriptorem hac ratione et rerum continuationem conexumque cum multo maiore alacritate depingere et, si modice participio utetur, orationem iucunde variare posse apparet; nos quidem quibus hoc imitari non licet nullo modo vim et elegantiam orationis veterum assequimur adverbiis 'darauf, und sogleich, dadurch' aliisque similibus aut simplici pronomine sive personali sive demonstrativo sententias vinculo satis trito coniungentes. Pro participio perfecti passivi etiam perfectum deponentis invenitur in versu VI 355 *quae facile insinuantur et insinuata — Dissoluont nodos* et addere licet Ovid. Met. XIII 189 *nunc equidem fateor fassoque ignoscat* (h. e. *et ignoscat mihi*) *Atrides.* — Sed eadem ratione apud Lucretium etiam participium praesentis nonnumquam positum reperimus I 372/74 *cedere squamigeris latices — aiunt — quia post loca pisces Linquant, quo possint cedentes confluere undae,* II 10 *errare atque viam palantes quaerere vitae* idemque denique sentiendum videtur de verbis versuum I 188/90, quamquam non solum a Munrone aliisque Lucreti interpretibus sed etiam ab ipso Lachmanno, viro summae auctoritatis,

huius loci verba valde infestata esse non ignoro. Lachmannus enim in lectione codicum

omnia quando
Paulatim crescunt, ut par est, semino certo,
Crescentesque genus servant

primum in illis *ut par est* offenderat, quia non par esset omnia certo semine crescere sed omnia paulatim crescere quae semine certo crescant. Sed hanc offensionem interpunctionis traditae, quam quidem recte sine dubio Lachmannus observaverat, facillime tollemus, cum commate post *est* deleto verba *ut par est semine certo* inter se coniungentur ita ut infinitivus *crescere* hic intellegatur. Quod vero ad soloecismum illum participii *crescentes* pertinet non neutro genere positi praecedente neutro *omnia*, gravius est hoc contrarium neque prorsus mihi videtur refutari illis exemplis quae viri docti multa similia sed non plane paria e Lucretio contulerunt (vide Pollium in Phil. vol. 26 pag. 297). Quod iam nihilominus neque cum Lachmanno verba versus mutanda neque cum Munrone defectum statuendum esse existimo sed poetam, qui simili loco II 707/9 *omnia quando — conservare genus crescentia posse videmus* grammaticam rationem secutus est, hoc loco metri causa eam deseruisse iudico, sine dubio non sine audacia hoc factum est, ferenda tamen illa atque ignoscenda potius poetae quam exprobranda et corrigenda. Ceterum Marullus, qui item in participio offendit, *crescendoque* poetam scripsisse coniecerat neque hoc contra poetae morem dicendi repugnat. Quod enim antea iam commemoravi gerundium interdum participii praesentis partes locumque suscipere, inveniuntur talia quoque exempla, ut gerundium verbi praecedentis repetitum ponatur, et apte comparaveris versus II 80/81 *si cessare putas rerum primordia posse Cessandoque* (h. e. *et cessantia*) *novos rerum progignere motus.* Sed hoc in transcursu. Nonnullos tantum ex Ovidio locos afferam, in quibus participii praesentis repetiti vis rhetorica magis quam apud Lucretium perspicitur: Met. VI 234 *frena dabat: dantem* (h. e. *tamen eum*) *non evitabile telum Consequitur,* XII 342/43 (saxum) *mittere conatur. Mittentem — Occupat Aegides,* XV 143 *et quoniam deus ora movet, sequar ora moventem Rite deum.*

Iam relicto hoc genere restat ut locorum aliquot mentionem faciam, ubi participii pleonasmus non repetitionis illa causa excusatur sed ubi e toto verborum conexu praeter sententiae necessitatem additum invenitur. Qua in re initium facere mihi liceat a versibus IV 88—92 ubi Lucretius odorem, fumum, vaporem, alias res consi-

miles propterea dicit diffusas e rebus exire, quia, dum ex alto veniant, flexa itinera nec recta sint ostia viarum *qua contendant exire coortae.* Quid, quaeso, illud *coortae* hoc loco sibi vult? An id nobis confirmari necesse est, illas res coortas esse, priusquam exitum sibi quaerant? Et sunt huic simillimi eiusdem generis loci velut v. IV 603 *ubi una* (vox) *Dissiluit — in multas exorta,* id est *ubi una vox ex ore egressa in multas voces dissiluit.* Nam ne in hoc quidem versu opus erat illud *exorta* addi, cum nihil sententiae ponderis eo efficiatur, neque aliter res se habet in v. IV 623 (primordia aspera) *pungunt sensum lacerantque coorta,* ubi item *coorta* molestum additamentum iure videatur. Neque ego intellego, qua arte Munro et hoc loco et illo unde profectus sum, ut vim participii augeret, multitudinis notionem inferre potuerit, quamquam hoc concedo violentiae cuiusdam significationem interdum in verbo *cooriri* inesse; cf. vs. V 411 *umor — coepit superare coortus* h. e. *coortus est et superavit,* nimirum quasi hostis bellum illaturus (cf. 381/82) et V 1000/1 *hic temere in cassum frustra mare saepe coortum Saevibat,* ira quasi incensum et talis usus nonnulla etiam apud Livium et Tacitum extant exempla. Sed praeter ea, quae antea attuli, paris abundantiae aliud extat exemplum in v. VI 1139 *nam penitus veniens Aegypti finibus ortus* sc. aestus, ubi cum illa *penitus veniens Aegypti finibus* sufficiant, non iniuria quis quaerat, quo tandem consilio poeta supervacaneum illud *ortus* addiderit, aut quid illud *veniens* sibi velit, cum verba *penitus Aegypti finibus ortus* sola plane sententiae satisfaciant? Ita enim verba componere *penitus ortus, veniens Aegypti finibus* aut *penitus veniens, Aegypti fin. ortus,* quod Wakefieldus et Bockemuellerus faciunt, quorum alter interpretatur: *penitissimis et abditis retro terrae partibus ortus* alter: *ex interiore parte terrae veniens,* nemo prudens audebit, sed verba *penitus Aegypti finibus* arte cohaerent ut in v. 723 *exoriens penitus media ab regione diei* et 735 *Aethiopum penitus de montibus altis Crescat.* — Sed restat mira illa participiorum cumulatio, quae cum etiam Lachmanno displiceret, vir doctissimus participium *ortus* in nomen *morbus* mutavit, non solum tamen participio ipso offensus sed magis ratione versus 1136 adductus. Cum enim hic pro codicum scriptura *mortiferae* posuisset *mortis ferai,* voce generis masculini opus erat, ad quam participium *permensus* referretur. Itaque ansa participii illius supervacanei arrepta *morbus* coniecit leni coniectura sed vix laudabili. Illo *ortus* enim, quod quin poetae vindicandum sit dubitatio vix relinquitur, et participio *permensus* via nobis demonstratur, qua quod in codicibus stulte scriptum est *mortiferae* corrigere

conemur, neque dubito, quin Munro illud *mortifer aestus*, quod apud Macrobium servatum est, a Lachmanno iniuria denegatum recte et docte restituerit, praesertim cum versus sic in fine mutilati in textu Lucretiano saepius nobis occurrant[1]). Sed redeamus, si placet, ad locum illum unde egressi sumus, nondum plane explanatum. In illis enim quae versum IV 92 praecedunt in codicibus haec scripta sunt *ex alto quia dum veniunt, extrinsecus ortae* a sana sententia aliena, nisi quis cum Wakefieldo verba sic coniungat *ex alto, quia dum veniunt extrinsecus, ortae*, haud belle ac ne usui sermonis quidem convenienter; nam *extrinsecus foras* significans apud Latinos scriptores non invenitur. Itaque iam Lambinus et Gifanius voce *extrinsecus* in *intrinsecus* mutata sententiam satis probabilem constituerant, nisi quod quis in his verbis *ex alto dum veniunt* et *intrinsecus ortae* bis idem dictum esse recte opponere potest. Contra Lachmannus in voce *ortae* potius a librario peccatum esse putavit, sed ea quam ingressus est emendationis via mihi infestior videtur quam ut virum doctissimum in hac quidem re sequi audeam. Quae enim ille coniecit *ex alto quia dum veniunt, extrinsecus torte* haec ita sunt comparata, ut a poeta ea profecta esse vix quisquam credat. Itaque tutius videtur, sententia Lachmanni et hac via omnino derelicta ad alteram illam redire, quam fortasse ita magis firmabimus, ut vocem *intrinsecus* non cum participio *ortae* sed cum verbo *scinduntur* iungamus. Sic enim hoc aptum contrarium efficitur: *et intrinsecus scinduntur, dum oriuntur, et in exitu ipso.* Participia autem illa *ortae* et *coortae* quamquam supervacanea tamen ab Lucreti elocutione non abhorrere antea docui. — Eadem ratione deinde etiam participium *repertus* nonnumquam abunde additum videtur. Apparet hoc in vs. V 1276/78 *porro aliut succedit et e contemptibus exit, Inque dies magis adpetitur floretque repertum Laudibus* et carere possumus participio etiam V 1412/13 *posteriorque fere melior res illa* (priora, in vs. 1410/11 significata) *reperta Perdit et inmutat sensus ad pristina quaeque* et I 247 *dum satis acris Vis obeat pro textura cuiusque reperta.* Nec diversa est res in participio *victus* et aliis similis translationis, quae studio quodam poeta nonnumquam sic sententiae inseruit, ut facile deesse possint; conferantur versus II 291 (ne mens) *devicta quasi id cogatur ferre patique,* V 1269 *cedebat victa potestas* (auri et argenti), I 624 V 343 *victus fateare necessest,* V 109 *succidere horrisono posse omnia victa*

---

[1]) Vide quae de hoc versu disseruit Vahlenus vir clarissimus in acuta illa disputatione de prooemio Lucretiano. Monatsberichte der Königl. Preuss. Academie der Wissenschaften a. 1877 p. 490/91.

fragore, I 592/93 *nam si primordia rerum Commutari aliqua possent ratione revicta*, II 605 *quamvis effera proles Officiis debet molliri victa parentum*, V 372 (moenia mundi) *alia quavis possunt vi pulsa perire*, I 492/93 *tum labefactatus rigor auri solvitur aestu: Tum glacies aeris flamma devicta liquescit*, II 1145 *moenia mundi Expugnata dabunt labem putrisque ruinas*, II 234 (leviora) *cedunt gravioribus exsuperata.*

Sed haec participia quamvis in enuntiati conexu supervacanea sint, nullo modo tamen futilis pleonasmi exempla putari debent et valde erret, si quis ea fortasse supplendi numeri causa addita ducat. Sunt potius etiam haec signa artis cuiusdam aperta, cum poeta non id maxime studeat, ut sententiam claram breviter exprimat sed quaerat, quo modo res suaviter depingantur et variis coloribus ornentur, nec solum manifestam esse orationem velit sed etiam iucundam. Itaque huius quoque generis exempla quam maxime plena proferentur, quae si singula leguntur, mira videantur, universa poetae studium luculenter ostendunt. Hac enim ratione iudicandum erit etiam de v. III 582 *tanta mutatum putre ruina Conciderit corpus*, ubi aliquo iure Wakefieldus dixit participium *mutatum* in gravi sententia sat ignavam stationem occupasse, sed iniuria ille participium coniectura fulcire conatus est; neque enim multo maior erat vis eius in illis quae antea attuli exemplis et his quoque quos iam afferam locis participium plerumque pondere caret: II 952/53 *nam quid praeterea facere ictum posse reamur Oblatum*, III 303 *nec nimis irai fax umquam subdita percit Fumida* (boves), I 79 *quare religio pedibus subiecta vicissim Opteritur*, III 431/32 *quod genus in somnis* (im Traume) *sopiti ubi cernimus alte Exhalare vaporem altaria ferreque fumum*, IV 199/200 *haec puncto cernuntur lapsa diei Per totum caeli spatium diffundere sese*, IV 1129 *aut quod in ambiguo verbum iaculata reliquit*, V 595/96 *nam licet hinc mundi patefactum — fontem scatere atque erumpere lumen*, V 683/84 *quod* (sol) *ab alterutra detraxit parte, reponit Eius in adversa tanto plus parte relatus*, III 661 *volneris ardenti ut morsu premat icta dolorem*, IV 40/41 *cum corpus simul atque animi natura perempta In sua discessum dederint primordia quaeque* (*quaeque* codices recte praebent) et participio ad obiectum relato V 1123 *et tamen e summo, quasi fulmen deicit ictos Invidia* et I 57 *quove eadem rursum natura perempta resolvat.* — Sed haec ratio non solum in participiis perfecti passivi aut deponentis extat, invenitur eadem nonnumquam in participiis praesentis: V 396 *ignis enim superat et lambens multa perussit*,

IV 869/70 *corpora, quae stomacho praebent incendia nostro Dissupat adveniens liquor ac restinguit ut ignem,* cf. VI 232/33 *omnia circum Conlaxat rareque facit lateramina vasis Adveniens calor eius* (fulminis) et VI 266 *nec tanto possent venientes* (nubes) *opprimere imbri* (sc. terras), denique VI 215 *nam cum ventus eas* (nubes) *leviter diducit euntis Dissoluitque* et III 20/21 *neque nix — Cana cadens violat* (sc. sedes deorum), quamquam hic Munro, ut participium fulciretur, verba *cana cadens* (*with hoary fall*) inter se coniunxit. Contra alio loco, VI 459/60, *fit quoque uti montis vicina cacumina caelo Quam sint quoque magis, tanto magis edita fument — caligine crassa,* ubi vocis *edita* sententia inanis est, si eam participium accipimus, (Munro vertit *at this elevation*) aptius *edita montium* id est summam partem vel cacumina montium intellegemus ut in Taciti Ann. IV 46, XII 56.

Supersunt denique nonnulli loci, ubi participium non solum positum sed cum nomine coniunctum ablativi absoluti, qui dicitur, figura sententiae abunde adiectum nobis occurrit. Huius generis exempla quae pauca inveni postremo loco hic breviter commemorentur: I 134/35 *cernere — eos audireque coram, Morte obita quorum tellus amplectitur ossa* cf. IV 732, IV 759 *cernere eum quem Rellicta vita iam mors et terra potitast,* deinde III 714 (anima) *partibus amissis — libata recessit,* V 773 *offecto lumine obire* de quotidiano solis lunaeque occasu dictum, denique I 810/11 *amisso — corpore vita quoque omnis Omnibus e nervis atque ossibus exsoluatur* quocum compares versus eiusdem libri 1038/39 *privata cibo natura animantum Diffluit amittens corpus.*

Iam ad finem huius quaestionis perveni, qua Lucretianae elocutionis specimine proposito pauca perfeci, reliqui multa. Nam haec res dignissima mihi videtur quae copiosius a nobis tractetur et diligentius observetur, atque multa hic inveniri existimo quae plenius exponi ad totius linguae Latinae naturam magis pernoscendam et ad singulorum scriptorum usum rectius iudicandum intersit magnopere.

VITA.

Julius Aemilius Hermannus Kraetsch natus sum a. d. IV Idus Februarias a. 1856 Berolini patre Hermanno matre Florentina e gente Sudrow. Fide initiatus sum evangelica. In seminario Berolinensi ad severiorem gymnasii disciplinam praeparatus vere anni 1869 in quarta classe gymnasii Joachimici receptus sum, qua in schola egregia praestantissimorum praeceptorum disciplina per ter decies sex menses usus sum, quorum memoriam semper animo laeto gratoque repetam. Deinde in liberiorem universitatis campum egressus Berolini per octies sex menses audiebam viros clarissimos Curtium, Dillmannum, Geigerum, Henningium, Huebnerum, Kirchhoffium, Muellenhoffium, Paulsenum, Treitschkium, Vahlenum, Wattenbachium, Wilamowitzium, Zellerum. Summum autem fructum inde percepi, quod inter sodales seminarii philologi recepto per duos annos egregia Kirchhoffi et Vahleni institutione uti mihi licuit. Omnibus his viris spectatissimis, qui optimis studiis me instruxerunt atque imbuerunt, summas ex animo gratias ago.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

I.

In altero Lucreti libro, v. 342, vocem *praeterea* esse retinendam, in sequentibus anacoluthiam tolerandam.

II.

Quarti libri versum 290 probata Goebeli sententia non esse mutandum nec loco movendum sed antea aliquid excidisse.

III.

In Platonis Euthyphrone, pag. 5 D, Schanzium participium *ἀδικοῦντι* frustra impugnavisse.

IV.

In eiusdem Hippia maiore pag. 288 A, verba *δι' ὃ ταῦτ' ἂν εἴη καλά* delenda esse.